? 4

A

GE. CAR. THEOD. FRANCK

PHIL. DR. ET IN SCHOLA FLENOP. COLLEGÆ III.

DE TRIBUUM, CURIARUM ATQUE CENTURIARUM RATIONE DISPUTATIO CRITICA.

SLESVICI.

TYPIS SURDORUM. MDCCCXXIV.

GE. SAM. FRANCKIO,

TH. ET PH. DR. ILLIUSQ. IN AC. KIL. P. P. O.

PATRI CARISSIMO,

S. P. D.

GE. CAR. THEOD. FRANCKIUS.

Exigua esse, pater mi, quæ offeram, quæque virium tenuitas possit præstare, haud ignarus, vix auderem equidem hanc commentatiunculam tuo nomini inscribere, nisi humanitatem tuam diuturno usu perspectam haberem. Tibi enim per tot annos summa cum laude in rebus antiquis versato, ego vix iuvenilem ætatem egressus, quid exhibeam te iudice dignum? Sed amorem tuum atque erga me voluntatem, quibus post Deum omnia accepta refero, non muneris gravitatem, sed offerentis animum esse spectatura, neque quamvis tenue atque exiguum

grati animi documentum esse contemptura confido. Sed mirari te audio, me, qui virium tenuitatem non ignorem, rem tam difficilem, totiesque a viris summis disputatam, esse aggressum. Audi igitur, qui factum sit. Collegam mihi scis esse litteris et probitate æque egregium, F. C. Wolffium, cuius amicitiam summopere mihi gratuler. Is, cum Ciceroniana de republica fragmenta a Maio, magno magni Garatonii apud Italos in litteris successore, protracta ad nos essent perlata, consilium animo concepit emendationum speciminis scholarum indici præmittendi. In quo conscribendo cum in locum illum ab Hermanno V. S. egregia illa ad Steinackerum epistola critica tractatum incidisset, me quoque (qui nobis mos est, ut talia familiari sermone disseramus) consuluit, quæ mea esset sententia. Animum attendi, quoniam nihil magis me delectat, quam rerum antiquarum, Romanarum præsertim, cognitio; et cum aliis rebus antea occupatus fuissem, iam quicquid otii mihi ex munere

erat reliquum, totus in ea re esse coepi. Jam cum id moris mihi esse scias, ut, antequam recentiores de eiusmodi rebus scriptores consulam, ipsos fontes quantum fieri possit perscruter, ut meis oculis cernam, nec quicquam nisi quod idoneis sit argumentis comprobatum verum habeam, fieri non poterat, quin statim ab initio aliter quædam habere viderentur, quam antea fuissent exposita. Quæ reperisse mihi videbar, scripto notabam, atque ipsa difficultate studium augebatur. Postremo cum multa accuratius rectiusve finiri posse viderentur (quis vero est, quin sibi potius quam aliis credat?), fieri posse arbitrabar, ut essent in quibus viri docti mihi suffragarentur. Quare publici iuris meam his de rebus qualemcunque sententiam facere constitui, non quo alios erroris arguerem, sed si fieri posset vel neglecta quædam oculis propositurus, vel, si vana mea esse viderentur, eo certe litteris aliquantulum profuturus, quod refutatis quæ attulissem argumentis contraria sententia plus firmitatis acceptura videbatur. Dum hæc ago,

Niebuhrii V. S. affertur contra Steinackerum disputatio. Qua re factum est, ut, quamvis perpaucis de rebus sententiam mutassem, magnam tamen disputationis partem refingerem, quam antea iam ita institueram, ut, cum in rebus probandis illud maximum esse videretur, ut certa essent atque explorata quibus illæ niterentur fundamenta, quicquid rerum antiquarum ad argumentum mihi propositum facere videretur, denuo quasi rem integram atque intactam examinandum mihi sumerem. Nec deterruit me virorum qui eandem rem ita tractassent, ut alia quam ego probarent, magnitudo, quoniam et summum quemque tardissimum esse ad iram, facillimeque eos, qui tam ingenti doctrinæ copia uterentur, veniam dare, si paucula quædam vel eriperentur, vel modeste impugnarentur, cognoram, et ignominiam capere si tantis viris succumberem non posse, contra, si hoc vel illud pervicissem ad laudem evehi mihi posse videbar. Quæ cum ita sint, sueta humanitate et te, carissime pater, et alios viros

doctos in hacce disputatiuncula iudicanda esse usuros confido. Steinackeri V. Cl. responsione, Niebuhriique V. C. actione altera, denique Burchardii V. C. mihique amicissimi disputatione egregia dolui me uti non potuisse, quoniam cum illæ afferrentur commentatio mea sub prelo iam sudabat. Pauca tantum de Burchardii mei sententia antea inaudieram, de quibus suo loco egi. Ceterum si quid vel in tractationis genere, vel in oratione poliendа sit peccatum, quod sentio quam facile potuerit accidere, non incuriæ id te daturum, sed veniam mihi negotiis tantum non obruto concessurum spero. Quod reliquum est, vale et me ama.

Scr. Flenopoli Kal. April.
CIƆIƆCCC XXIV.

Cum in antiquitate Romana multa adhuc obscura et incerta, necdum, quamvis saepe et summa cum contentione agitata, satis sint exposita atque illustrata, tum quidquam equidem reperiri dubitaverim, quod tamdiu a viris summis, totiesque et tanto ardore disputatum, incertum tamen manserit atque dubium, quam triplicis, quae regum et liberae reip. aetate, immo sub Caesaribus quoque exstitit, civium Romanorum descriptionis ratio. Et profecto mira res videretur, nisi tot tantaeque eam difficultates urgerent, quot haud scio an aliam nullam. Non enim, quod saepe fit in rebus antiquis, aut uno alterove veterum loco neglecto, aut ignavia ortae sunt discrepantes illae doctissimorum philologorum sententiae, sed summum in ea re posuere tantum non omnes studium, summa sollertia quicquid ad rem facere videbatur collegere: quam rem vel sola nomina Sigonii, Gruchii, Manutii, Augustini, Graevii, Gronovii, Bellefortii, Niebuhrii, Wachsmuthi, Hermanni, aliorum, testantur. Verum longe alia res est. Primum enim res ipsa tam varia est, et tam arcte et inter se et cum singulis fere reip. partibus coniuncta, adeoque variis temporibus mutata, ut, etiamsi consulto veteres rem omnem exposuissent, tamen difficilis haud immerito haberetur. Jam vero antiquissima illa tempora, e quibus omnes istae populi in partes distribuendi rationes originem trahunt, non incerta tantum sunt, sed magna ex parte

dubia, si non incendio Romæ, tamen ob ipsam antiquitatem. Quæ sequuntur tempora auctoribus pæne prorsus carent, perdita Livii decade altera, Dionysii maiore parte, Dionis Cassii, Velleii Paterculi, verbo dicam, omnium fere qui res Romanorum composuere, eas partes nobis fortuna invidente, quæ certa nobis de rerum mutatione tradere potuissent. Extremi liberæ reip. temporis multa scripta servata sunt; sed qui res Romanas scripserant, tantum non omnes sunt situ atque medii ævi barbarie nobis erepti, reliqui scriptores quo consilio res omnibus tunc notas litteris mandarent? Itaque non est mirandum, ipsos de republica libros Ciceronis nuper repertos spem ab omnibus qui his rebus gaudent conceptam, fore, ut inde certi aliquid efficeretur, esse frustratos. Una igitur in his rebus reliqua est via, quam necesse est ingrediantur omnes, qui ita in iis velint versari, ut viris doctis probentur. Nam cum obscura atque incerta sint omnium populorum tempora antiquissima, qui postea ea scripsere, tribus fontibus uti poterant. Vel enim e tabulis scriptisve vel publicis, vel privatis, annalibus, similibus, rerum gestarum nudam et nullo orationis ornatu præditam notitiam hauserunt, vel fama memoriaque maiorum ducti sunt, vel coniectura usi sunt, quo ex eo rerum statu, qui ipsorum ætate erat, efficerent, quomodo res antea habuissent. Neque, ni fallor, dubitare licet, quin omnes qui ratione et consilio res antiquas tractent, universas, illas vias simul necessario ingrediantur. Sed ut scripta publica atque privata priscis illis temporibus nihil continebant, nisi nomina vel magistratuum aliorumque hominum, vel rerum, præsertim bello, gestarum, et

temporum qualemcunque notationem, ita rumor ille vulgi atque memoria maiorum vel ad res sacras spectasse, vel rebus gestis ornamenta quædam addidisse ex aliarum gentium comparatione putandus est, ea vero, quæ ad mutatas quasdam reip. partes spectarent, si pauca quædam excipias, magis coniectura assecuti, quam vel e scriptis monumentis, vel e fama hausisse videntur. Hæc dico videri esse excipienda: ipsa mutationum nomina, quæ una cum temporum notatione annales pontificum atque alia scripta publica servasse verisimile est; et narratiunculas quasdam de caussis reip. mutatæ et singulorum quorundam rebus gestis: talia enim posteri ore celebrare solebant. Ipsam vero reip. mutatæ rationem vix credo unquam aut annalibus, utpote tenuioribus, aut ore hominum, quippe nimis abstrusam rem atque difficilem, accurate esse traditam, nisi si quando monumento quodam in rei memoriam structo de re gesta posteri monerentur. Sic, ut hoc exemplo utar, narratiunculam de Tarquinio Prisco et Navio augure maiorum memoriæ tribuerim, quoniam monumentum si diis placet eius rei Romæ cernebatur (Dion. III., 71. p. 592. ed. Reiskii); notitiam mutatarum a Servio Tullio tribuum atque classium centuriarumque institutarum scriptis publicis; numerum denique fortasse et tribuum Servianarum et centuriarum classibus asscriptarum coniecturæ. Quamvis enim extremis liberæ reip. temporibus tribuum centuriarumque suffragia in tabulis publicis describerentur (Cic. Pis. 15.) eam tamen rem prisco illi ævo tribuere non possumus, quoniam re ipsa patet, institutam esse ob frequentes ambitus similiumve criminum actiones, quæ isto tempore locum

non habebant. Atque his propositis longe facillime, ni omnia me fallunt, quomodo dissensio illa inter ipsos veteres scriptores orta sit, intelligitur. Nos vero quam tutissime hac in re progressuros arbitror et quam proxime ad verum accessuros, si veterum vestigiis lectis quicquid inde effici possit colligamus, ita, ut ea tantum vera iudicemus, quae et cum reliqua reip. forma, et cum iis, quae postea esse instituta sciamus, non solum consistere possint, sed cohaerere videantur. Itaque hanc nos rei tractandae rationem instituamus: Universa tractatio tres partes continebit: I. de populi descriptione a Romulo instituta atque a Tarquinio Prisco paullulum mutata, quia in re nihil fere possumus, nisi quid ipsorum veterum prudentissimi senserint eruere; II. de iis, quae Servius Tullius hac in re egerit; III. de populi distribuendi ratione quae libera republica sit constituta. Comitiorum in his omnibus summam rationem esse habendam haud opus est addere. Unum addam, quod non minimi est in hac re recte tractanda momenti, Romanos suarum rerum scriptores felicius plerumque quam Graecos de pristino rerum statu coniecisse, rectiusque iudicasse, quoniam et praesentis rerum ordinis et rationis qua res Romae et geri et mutari solebant accuratiore utebantur cognitione: ita, ut, quod res ipsa postea comprobabit, Livius fere Dionysio, Velleius Appiano fide praestent. Sed fuere tamen et Graeci, qui aeque res Romanas perspectas habebant, atque Romani, in quibus vel maxime Polybius est numerandus; sed quae ex eius opere reliqua sunt, pauca tantum quae ad rem nostram faciant continent.

Caput I.

De populi Romani descriptione a Romulo instituta.

Romuli aetatem prorsus esse obscuram et ipsis Romanis fere plane fuisse incognitam, nisi quod paucis illis quae vel scripta publica: nam ea iam tum fortasse condi poterant, vel memoria maiorum servarat, multa et portentosa cum ipsa rerum fama, tum rerum scriptores, Graeci praesertim, affinxerant, supra iam monuimus. Sed ea eruere studeamus, quae vera ab antiquis sunt tradita.

Dionysio auctore (II., 7. p. 250. et c. 47. p. 334.) statim ab initio Romae conditae Romulus universum populum in *tres tribus* distribuit, singulas tribus in *decem curias*; de nominibus nihil decernit, tantum addit, fuisse qui post Sabinos cum Romanis coniunctos curias a Sabinis Romanorum uxoribus nomina accepisse traderent, Varronem autem antiquiora hac utriusque populi coniunctione nomina illa iudicare. Ipse tamen IV., 14. p. 671 *e generibus* tunc tribus esse descriptas affirmat. Plutarchus in vita Romuli c. 20. coniuncto demum regno *tribus* esse ita conditas, ut ab ipso Romulo, a Tatio et a luco quo asylum continebatur, Ramnensium, Titiensium et Lucerensium nomina adipiscerentur, comprehensas autem denis *curiis* affirmat. De curiarum nominibus Varroni assentiri videtur, cum multarum ex iis nomina a locis quibusdam atque regionibus esse petita doceat (v. i.). Florus I., 1. non nisi *tribuum* facit mentionem. Livius I., 13. et qui eum transscripsit Aurelius Victor V. J. 1. *tribuum* nullam faciunt

mentionem, sed *trium centuriarum equitum* eodem tempore descriptarum et iisdem nominibus præpitarum, quibus apud Plutarchum tribus appellantur; *curias* triginta ut reliqui statuunt, sed a Sabinarum nominibus appellatas, et eas, ut cum equitum centuriarum ratione non cohærere videantur; neque tamen eam rem apertis verbis indicant. Cum Livio prorsus consentit Cicero de rep. II., p. 44. ed. Heinr., nisi quod pro equitum centuriis tribus appellat, et Luceres sive Lucerenses ab Etrusco Lucumone, Romuli in bello Sabino socio, dictos esse arbitratur, quam rem Livius in incerto reliquit. De Asconii atque Festi aliorumque locis quibusdam, quibus tribuum et curiarum nomina confunduntur, infra agemus. Appianus, qui antiquissimi huius temporis instituta ad Augusti ætatem per errorem transferre videtur (de bellis civ. III., 94.) curias tribuum partes appellat ut Plutarchus et alii. Curias triginta non ab initio a Romulo esse descriptas, sed postea demum, Pomponius quoque (de O. J.) auctor est. — In tanta auctorum discordia desperandum esse profecto videri potest de vero inveniendo. Sed primum est investigandum, annon hoc vel illud speciem magis dissensionis præbeat, quam vere discors sit iudicandum; deinde ea discernenda, de quibus omnibus constat; denique coniectura utendum ex accurata rerum scrutatione profecta. Et de primo quidem dissensionem inter Livium et Ciceronem nullam esse invenimus. Nam cum eo loco, quem supra laudavimus, Cicero tribus a Romulo, Tatio, et Lucumone esse appellatas dixerit, postea p. 52. de Tarquinio Prisco addit: *Deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est reten-*

tus; nec potuit Titiensium et Ramnensium et Lucerum mutare cum cuperet nomina. — — — Sed tamen prioribus equitum partibus secundis additis mille ac ducentos fecit equites. Atqui equitum in prioribus nulla mentio, nec eo loco, quo mentio fieri potuisset, lacuna cernitur. Apertum igitur, recte statuisse qui dicerent, equitum centurias singulas e singulis tribubus esse lectas, et ab iisdem nomina adeptas. Idem Flori verba indicare videntur (l. c.): *iuventus divisa per tribus in equis et armis excubaret*, et apertius etiam I., 5: *Hic* (Tarquinius Priscus) — — *centuriis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohibebat.* Immo ipse Livius X., 6. solis luce clarius hanc verborum suorum fuisse sententiam declaravit, cum dicat: *Quemadmodum ad quatuor augurum numerum, nisi morte duorum, id redigi collegium potuerit, non invenio, cum inter augures constet, imparem numerum debere esse, ut tres antiquæ tribus, Ramnes, Titienses, Luceres, suum quæque augurem habeant etc.* Denique duo testimonia adiicio, quo pervulgatam eam apud veteres opinionem fuisse intelligatur, alterum Varronis de L. L. IV. p. 1065 (in Perotti Cornuc. Bas. 1521.), Curiatii alterum ap. Festum s. v. *Turma* p. 1218. (ib.). Ille enim: *Turma*, inquit, *terma est: e in u abiit quod ter deni equites ex tribus tribubus Titiensium, Ramnensium et Lucerum fiebant etc.* Quibus iisdem plane verbis et alter ille utitur. — Lucerum porro nomen num a Lucumone ducas, ut Cicero, an a luco, ut Plutarchus, an incertam esse originem fatearis, ut Livius, nihil refert. Aeque nihili est, utrum a Sabinis an aliunde curias nomen traxisse credas. Sed illud

gravius est, *quando* et *quot* tribus et curias, et *quales* extitisse statuas. Et de numero quidem omnes consentiunt, tres ab initio tribus, curias triginta fuisse *). Illud præterea fere inter omnes constare videtur, curias ex deorum cultu esse descriptas. Festus s. v. *Curiæ* (p. 1139.), de quo loco infra agetur. Id. s. v. *novæ curiæ* (p. 1175.) Varro de L. L. IV. (p. 1071) et V. (p. 1079.) Dionys. II. 21—23. p. 278 sqq. Nam quæ is de diis a Romulo singulis curiis attributis nobis obtrudit, ineptiis eius innumeris esse annumeranda quivis videt. Neminem legi veterum qui adversaretur. Atqui tribus quoque ad rem divinam spectasse atque esse comparatas, inde consequi videtur, quod Romulus: *ex singulis tribubus singulos cooptavit augures* Cic. de rep. II. p. 45. Adde Liv. X. 6. (v. s.). De Dionysii errore, qui II., 22. p. 281. haruspices appellat, v. Wachsmuthi Hist. Rom. p. 219. et Frandseni Haruspices. Berol. 1823. 8. **). Illud certum est, ineptire Dionysium, cum singulis curiis suos deos a Romulo esse *tributos* dicat: non sunt illi a Romulo tributi, sed a qualibet gente et qualibet familia domo Romam translati, id, quod omnis antiquitatis ratio docet. Itaque in curiis distribuendis gens et genus spectabatur. Quo etiam illud fortasse pertinet, quod Plutarchus l. c., et si apud Dionysium II., 47. p. 335, pro πάντων recte legitur ἀπὸ τῶν πάλαι πατρίδων, etiam Varro affirmat, multas curias a patriis atque

*) De Niebuhrii sententia ab hac diversa v. l.

**) Nihil magis sententiam nostram probaret, quam quod ex Cic. epp. ad Att. IV., 17. Wachsmuthus V. C. p. 211 efficit, tres augures comitiis curiatis præfuisse. At nihil aliud ex eo loco elici posse videtur, quam *tunc* eos *affuisse*.

regionibus, alias (teste Varrone l. c.) a virorum nominibus sua traxisse. Fidem autem esse habendam inde apparet, quod quaedam nomina adhuc exstant. Sic apud Festum p. 1222. curia *Titia* a Tito Tatio dicta, *Tifata* a pago prope Capuam, aliorum nominum non indicant veteres originem: *Fauciae* Liv. IX., 38. *Foriensis* (al. Forensis), *Raptae*, *Vellensis* (al. Veliensis), *Velitiae* Fest. s. v. *novae curiae* p. 1175; sed nescio an Foriensis et Veliensis a foro et Velia sint dictae. — Tribuum vero eandem fuisse rationem, siquidem Ciceroni, Livio, Plutarcho, Dionysio (IV. 14. p. 671. φυλαὶ γενικαί), Ennio et Iunio apud Varronem (L. L. IV., p. 1062.) Festo (s. v. *Lucerenses*, ubi ab Ardeae rege Lucero; s. v. *Lucomedi*, ubi a Lucomo appellatos affirmat, p. 1161; et s. v. *Titiensis tribus* p. 1222.) credamus (et quid credere prohibet, nisi Volumnii opinio ap. Varr. l. c., de qua infra agemus?), ex ipsis nominibus apparet. Quidni igitur, praesertim cum praeter Volumnium nemo sit veterum qui repugnet, Plutarchus, Dionysius atque Appianus auctores sint, curias tribuum fuisse partes statuamus? Quodsi concesserimus, Dionysius, et nisi male eum intellexit ille, Varro aperti erroris arguentur, cum prodant, curias atque tribus Romanorum Sabinorumque societate esse antiquiores. Ita igitur statuimus, Ramnensium tribum Latinos, Titiensium Sabinos, Lucerum Etruscos continuisse, singulas decem curiis constitisse, et e singulis tribubus singulas equitum, centurias, ni fallor post delectum peditum, esse conscriptas. Nescio enim, an recte ad haec tempora Polybii locum referam VI., 18: ὅταν δὲ ἐκλέξωσι τὸ προκείμενον πλῆθος (peditum e tribubus lectorum) — — μετὰ ταῦτα

τοὺς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρους εἰώθεισαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις διακοσίους· νῦν δὲ προτέρους, πλουτίνδην αὐτῶν γεγενημένης ὑπὸ τοῦ τιμητοῦ τῆς ἐκλογῆς: καὶ ποιοῦσι τριακοσίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον. Nam e censu iam Servius equites legit. — Recentiorum de tribubus sententias omnes recensere longum foret. Præcipua tamen quædam infra attingemus. — E tribubus iam tunc milites esse lectos, vel e vetere omnium gentium instituto, ut in bello singulæ gentes seiunctæ dimicarent, apparere videtur. Tributa quoque tributim esse collata re ipsa doceri videtur. Quare recte, ni fallor, Livius I, 43. a tributo, vel potius a tribuendo esse dictas affirmat, non a numero ternario, neque a Græco vocabulo *τριττύς*, quamvis alterutri harum notationum plerique faveant. Nam præterquam quod rei ipsi Liviana illa explicatio optime convenit, favet ei etiam totius linguæ analogia, qua, ut hoc utar, *dux* a *duco* est *qui ducit*, *lux* a *luceo*, *quæ lucet*, *ius*, ni fallor a *iuvo*, *quod iuvat* sic *tribus* a *tribuo*, *quæ tribuit*; cum reliquarum altera Latinæ linguæ usui repugnet, alterius significatio longius petita esse videatur, quoniam *τριττύς* apud Athenienses non tribum, sed tertiam eius partem significabat. Curias ad res sacras pertinuisse supra monui. Præterea populum, ubi ad deliberandum convenerit, curiatim suffragia tulisse, teste egere non videtur: sed Romulum vix credo populum unquam ad deliberandum convocasse, sed ipsum potius cum patribus ex arbitrio statuisse. Cf. Plut. Rom. 27. Prima certe *comitiorum* (ita enim conventus illi totius populi vocabantur) ni vehementer fallor, mentio est post mortem Romuli, cum populum interregis pertæsum patres convoca-

rent, Liv. I., 17. Quare nihildum de convocandi comitiorum caussa populi in curias, deque suffragiorum ferundorum ratione statutum esse arbitror, quamvis Livius I., 43. eum morem, quo: *viritim suffragium eadem vi eodemque iure promiscue omnibus* daretur, *ab Romulo traditum ceteros servasse reges* auctor sit. Qui tamen locus, quænam fuerit *curiatorum*, ex quo habita sint, *comitiorum* ratio exponit *). — Unde nomen curiæ acceperint, num a *curando*, an a *Curibus*, incertum maneat, cum nihil illud ad rem faciat, quamvis prius illud ex analogia aliorum nominum verisimilius esse, neque altera illa explicatio aptum sensum præbere videatur.

Hunc rerum statum intactum reliquere qui Romulum in imperio sequebantur usque ad Tarquinium Priscum, qui tamen et ipse nihil mutavit nisi quod tribus atque equitum centurias in binas partes divisit. Nam cum ad bella cum finitimis gerenda maiore sibi equitatu opus esse intellexisset, antiquis equitum centuriis totidem mutatis nominibus addere voluerat. Sed ab augure Navio prohibitus: *prioribus equitum partibus secundis additis mille ac ducentos fecit equites, numerumque duplicavit* (Cic. de rep. II. p. 52), ita, ut Ramnenses, Titienses atque Luceres iam primi essent et secundi. Cic. l. c. Liv. I., 36, qui mille et octingentos equites habet, quoniam, credo, nihil certi constabat, nisi duplica-

*) Wachsmuthus V. C. ex vocabulo *viritim* non posse colligi arbitratur (p. 210.) nullum suffragium reliquis vel dignitate vel auctoritate præstitisse. Et recte quidem; sed non cogitavit vir egregius de iis, quæ adduntur: *promiscue et eadem vi eodemque iure.*

tum esse numerum pristinum. Ex eo tempore equitum illæ centuriæ, quas Tarquinius instituerat *sex suffragiorum*, sive *sex centuriarum* nomen quoddam præcipuum cepere, quod tum quoque retinuerunt, cum plures essent factæ centuriæ (Liv. I. l. Festus s. v. *sex suffragia* p. 1211. Conferantur loci infra afferendi Cic. de rep. II., p. 54. Gruteri thes. inscr. p. 243, 1.). Dionysius III., 71. p. 589. sq. et hoc loco *tribus* nominat (*φυλάς*); sed cum statim subiiciat, novas istas *φυλάς* Tarquinium ex equitibus allectis comparare voluisse, apertum est, nihil aliud eum voluisse, quam ipsas illas equitum centurias. Sed tamen *tribus* quoque Tarquinium voluisse mutare Festus docet p. 1217: *Sex Vestæ sacerdotes constitutæ erant, ut populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex erat distributa partes: in primos secundosque Titienses, Ramnes, et Luceres.* Qua ex re et illud apparet, quid in Tarquinii consilio Navio displicuerit, illud quidem, quod Tarquinius, cuius postea consilium Servius Tullius perfecit, contra instituta maiorum [cf. Dion. l. c. p. 590: οὐκ ἐῶν κινεῖν τῶν ὑπὸ Ῥωμύλου κατασταθέντων οὐδέν.] universam tribuum rationem volebat mutare: neque enim nisi ea mutata, cum nulla alia gens civitatem esset adepta, tribuum numerus augeri poterat. Sed illud quoque hac re confirmatur, e singulis tribubus singulas equitum centurias esse electas: quam religionem etiam a Servio Tullio esse servatam arbitror. — Cicerone auctore eidem Tarquinio illa quoque lex est tribuenda, quam Servio Tullio Livius I., 43. assignat, quaque viduæ ad equites equo publico ornandos tributa conferre iussæ

sunt, Sic enim ille (l. l. p. 52.): *Deinde equitatum, inquit, ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus:* quæ quidem verba initio ni falsa, tamen perobscura mihi esse videbantur, quoniam longe alia postea fuit quam tunc equitum ratio; sed statim ipse ea Cicero illustravit. Ita enim pergit: *nec potuit Titiensium et Ramnensium et Lucerum mutare cum cuperet nomina, quod auctor ei summa augur gloria, Attus Navius, non erat. Atque etiam Corinthios video publicis equis assignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentes.* Jam enim videbam, hunc esse morem illum *usque adhuc retentum,* quo viduæ ad equos publicos contribuerent. Neque tamen sanum esse locum crediderim, quoniam tam dispersa ea ipsa leguntur quæ sunt iungenda. Mutilum arbitror atque turbatum. Sequuntur enim iam ea, quæ supra posui: *Sed tamen prioribus equitum partibus etc.* Equidem ita fere Ciceronem scripsisse existimo: *Deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus,* [ut viduis attributis quæ tributa conferrent equi publici darentur, etc.]. *Atque etiam Corinthios video publicis equis assignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentes. Nec potuit* [*tamen*, quod addendum censeo ex sequentibus] *Titiensium et R. et L. mutare cum cuperet nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. Sed* [hoc loco, ut supra monui, omittendum *tamen*] *prioribus equitum centuriis* etc. Sed hæc de his sufficiant. Jamque ad eam rerum publicarum formam nobis, quam Servius Tullius instituit, est transeundum.

Caput II.

De Servii Tullii reipubicæ constituendæ ratione.

Reges variis rationibus et urbem et civium numerum a primo inde initio auxerant, imprimis eo, quod civitatibus bello devictis interdum Romanam donarant civitatem. Nihilominus autem mirandum est ingens illud incrementum, quod per annos ferme CLXVII., a Romulo inde usque ad Tarquinii Prisci mortem ceperat. Nam cum recens condita urbe ter mille trecentorum numerum armati non excessissent (Dion. II., 16. p. 269.), sub initium Serviani regni octuaginta armatorum millia reperta sunt, ut e Fabio scribit Livius I. 44., immo, si Dionysio (IV., 22. p. 690.) fides, octuagies quater mille septingenta capita. Quod etiamsi cum Livio dubitemus, annon universorum civium is numerus fuerit, tamen egregie auctam esse civitatem apparet. Eam ob caussam tripartita illa civium divisio et ad delectum habendum et ad tributa cogenda iam non sufficere videbatur. Accedebat, quod sesquialtero iam sæculo præterito variarum e quibus Romani constabant gentium discrimina præter deorum cultum tantum non prorsus erant abolita. Denique fortunarum tanta varietas necessario exstitit, ut certa iam lege opus esset, ex qua ad onera publica conferrent. His, uti videtur, rebus adductus Servius alium rerum ordinem perficere constituit. Quare tripliciter cives esse distribuendos e diversis rerum publicarum generibus, ita, ut quælibet cuiusque generis civium pars reliquorum generum partes quasdam contineret,

arbitrabatur. Sacrorum enim ratione ut antea in curias erant distributi; locorum ratione in tribus, e fortunis in classes descripti sunt. Quam rem ut accuratius perspiciamus, de curiis, quarum ratio immota mansit, nihil addamus, sed tribuum rationem indagare conemur.

Regionatim esse a Servio tribus descriptas omnes consentiunt: Dion. IV., 14. p. 671: *καὶ οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς στρατιωτικά, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικάς* *), *καὶ τὰς ὑφ' ἑαυτοῦ διαταχθείσας ἐποιεῖτο.* Liv. I., 43: *Quadrifariam — urbe divisa regionibus collibusque quae habitabantur partes tribus eas appellavit.* E Dionysii verbis ne quis efficiat, iam ante Servium quatuor illas tribus urbanas exstitisse, solas reliques ab eo esse additas, ea cavent quae praecedunt et sequuntur. Paullo antea enim (p. 670.): *Ὁ δὲ Τύλλιος*, inquit, — — *εἰς τέσσαρα μέρη διελὼν τὴν πόλιν, καὶ θέμενος — — τὰς ἐπικλήσεις — —, τετράφυλον ἐποίησε τὴν πόλιν εἶναι, τρίφυλον οὖσαν τέως* etc. Mox vero ita pergit (c. 15. p. 673.) *Διεῖλε δὲ καὶ τὴν χώραν ἅπασαν — — εἰς μοίρας — —, ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλάς. καὶ τὰς ἀστικὰς προστιθεὶς αὐταῖς τέτταρας* etc. Qui locus eius rei nobis mentionem iniicit: non iam urbe cives fuisse contentos, sed longe lateque dispersos magnam Latini, Sabini atque Etrusci agri partem non coluisse tantum, sed

*) Non tantam esse hanc tribuum mutationem, quanta primum aspicienti esse videatur, inde apparet, quod statim ab initio suam cuique genti regionem esse attributam longe est verisimillimum. Sic Albanis montem Coelium, Etruscis postea quibusdam Tuscum vicum, Claudio regionem trans Anienem, ex urbis partibus optionem esse datam legimus.

habitasse. Quam rem nolumus ultra persequi, sed ad egregium Bellefortii opus de republica Romana (translat. Germ. Vol. I. p. 22. sqq.) lectorem amandasse satis habemus. Sed non minimam hanc fuisse tribuum mutandarum caussam arbitror. Quas ita esse institutas, ut qui eandem regionem eandemve urbis partem inhabitarent, eadem tribu continerentur, ea quæ modo attuli demonstrant. Sed de earum numero diversissimæ sunt opiniones, et veterum et recentiorum. Fabius enim apud Dionysium (l. l. p. 673.) et fortasse Varro apud Nonium (in Perotti Cornuc. p. 1244. s. v. *viritim*), urbanas tribus quatuor, rusticas XXVI. fuisse autumant. De Varrone tamen non certa res est, qui non *tribus*, sed *regiones* extra urbem XXVI. laudat, quas a tribubus esse discernendas Sigonius iudicavit (de A. J. Civ. Rom. I. 3.); Venonius apud Dionysium (l. l.) totidem urbanas, rusticanas, si vera est Sigonii coniectura, XXXI; Cato (ib.), cui assentitur ipse Dionysius (sequor enim egregiam Sigonii emendationem) numerum rusticarum non definit; Livius denique (I., 43.) et qui eum sequuntur solas quatuor urbanas laudant. E recentioribus Niebuhrius et Wachsmuthus VV. CC. Fabio favent, Sigonius (l. l.) et eum secutus Bellefortius (l. l. Vol. II. p. 67. sqq.) undeviginti fuisse universas, urbanas quatuor, quindecim rusticas, censent. Veterum discordia satis superque docet, aut nihil annales, nihil tabulas publicas de tribuum rusticarum antiquo numero continuisse, nihil denique ipsam famam certi servasse, aut coniectura maluisse rerum scriptores uti, quam iis, quæ illa suppeditarent. Et dubius profecto hæreo, utri sententiæ suffrager; sed præferenda

posterior ratio esse videtur. Dubitationis auctor mihi est Livius, quem equidem meliore fonte esse usum, sed apertam eius rei mentionem aut per negligentiam, addīturum eam fortasse postea, quoniam alio tempore urbanas quam rusticas esse institutas e Dionysii locis modo allatis colligere mihi videor, aut alia qua caussa, fortasse quod sicut iis locis, quos antea (cap. I.) laudavi, ex ipso equitum centuriarum numero tribuum quoque aequalis illi numerus efficeretur, omisisse arbitror. Etenim locus est, quem si quis ambiguum esse censeat, dolendum videri arti grammaticae atque interpreti de tenebris atque dubiis iam universam antiquitatem involuturis, Niebuhrius V. C. iudicat: cui aliquatenus equidem assentior. Attamen veniam eum mihi et invidia libero et populari suo daturum spero, si mea de certa eius loci interpretatione sententia vehementer ab ea quam ipse proposuit abhorreat, imprimis cum is locus inter paucos maxime omnes per tria iam secula vexaverit. Livius igitur eo loco, in quo praecipua quaedam huius disputationis pars versabitur, I., 43, postcaquam classium centuriarumque Servianarum rationem descripsit, ita pergit: *Equites enim vocabantur primi; octoginta inde primae classis centuriae: ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur: nec fere unquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus duplicato earum numero, centuriis iuniorum seniorumque ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. Quadrifarium enim urbe divisa regio-*

nibus collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror ab tributo: nam eius quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere. Totum locum transscripsi, quo facilius mea explicatio atque caussæ quibus adductus reliquis eam prætulerim cognoscatur. Sed antequam ipsam interpretationem aggrediar, ex tanto variarum de eo loco opinionum numero præcipuas quasdam afferam. Verba disputationi proposita sunt illa: *Nec mirari — non convenire.* In his omnibus constare videtur: *ordinem* idem esse, quod alibi *rerum ordo*, *rerum status* dicitur; *est* idem quod *exstat*; *centuriis* et quæ adduntur auferendi casu esse accipienda; *summam* denique nescire me fateor an ad centurias referant. De reliquis fere dissentiunt. Etenim verba *duplicato earum numero* alii ad tribus referunt, alii ad centurias: qui ad *tribus*, quoniam Livii ætate, quod infra videbimus, non LXX., sed XXXV. tantum tribus fuisse certum est, inserto inter explicandum vocabulo *quasi* rem expedire conantur, assensi ceteroquin iis, quos ultimo loco afferam, centurias postea septuaginta tantum fuisse, quæ quoniam tributim suffragia ferebant *quasi tribus* potuerint appellari. Huic sententiæ collega favet F. C. Wolffius longe et doctissimus et mihi amicissimus. Qui ad *centurias*, duplicem ineunt rationem: alii enim duplicato centuriarum numero postea centurias CCCLXXXV. esse factas existimant (Vid. Pantagathum ap. Ant. Augustinum ad Liv. l. l.), alii duplo maiorem quam tribuum numerus fuerit, vel primæ classis, vel omnium cen-

turiarum evasisse efficiunt. Illi sententiæ G. Hermannus, huic Niebuhrius, decora Germaniæ, favent. — Verba denique *centuriis iuniorum seniorumque* illi, qui tribus quasi esse duplicatas censent, ita interpretantur, quasi Livius scripsisset: *centuriarum in iuniores senioresque distributione ad tribus translata*; sed qui centuriarum numerum esse una alterave ratione duplicatum putant, quasi scripsisset: *centuriis iuniorum seniorumque institutis*, vel potius *centuriis in iuniores senioresque descriptis.*

Atque his præmissis rem ipsam iam aggrediamur. De tribuum cum centuriis ratione infra disserendi locus dabitur; quare si quid ea de re nobis in hac disputatione obiicietur, lectorem eo remittemus. Nunc in hoc solo loco recte interpretando consistamus. *Ordinis* igitur, ut ab hoc incipiamus, vocabulum vel *seriem* significat *e certis legibus constitutam*, ut cum dicimus *duplicem dentium ordinem*, vel *rationem conditionemque legibus istis respondentem*, ut *ordo reipublicæ*, ut *ordo in omnibus necessarius*, vel denique *ipsum illud, quod in ordinem est redactum*, qualis est *amplissimus ordo* sim., nec usquam alio sensu illud legi crediderim. Apertum autem, nisi aut abstracto ab omni rerum cogitatione et ad sola earum attributa converso animo, aut in eiusmodi formulis verborum, quibus quisque rem cui ordo tribuatur, etiam verbis non expressam, cogitatione addat atque suppleat, ordinis vocabulum non posse sine aliquo rerum ad quas sit referendum nomine usurpari. Sic enim, ut his utar, sine cunctatione dicimus: *summum per totam re-*

rum naturam cerni ordinem, sic senatum vocamus *ordinem amplissimum*, addito ipsa cogitatione *hominum* vel simili vocabulo. Quis vero *dentium ordinem*, alia, simpliciter *ordinem* vocaverit? Itaque dum exempla afferantur, quæ exstare apud veteres vehementer dubito, persuaderi mihi non sinam, *ordinem* esse idem quod *rerum ordinem*. — Verba deinde *duplicato earum numero centuriis iuniorum seniorumque* si apud Tacitum eiusve similem scriptorem legerentur, non posse tantum ita inter se iungi, ut supra exposui, immo utrumque iis sensum posse inesse faterer, sed difficulter admodum persuaderi mihi sinerem, aliud scriptorem voluisse. Sed apud Livium atque Ciceronem rarum, ne dicam inauditum, esse eiusmodi ablativi usum, quo participium vel plura etiam verba supplenda reliquantur, quemvis mihi credo concessurum. Quare si alia suppetat loci explicandi ratio, facilior illa et aureæ ætatis usui loquendi accommodatior, præferendam eam censeo. — Porro *duplicandi* vocabulum, ni omnia me fallunt, nunquam ita usurpatur, ut illud designet, quod aliud quippiam altera parte superat, sed de eo tantum, quod aut *altera parte maius fit, quam ipsum antea fuerat*, ut Cic. de N. D. I., 22. pro domo 35. pro Sextio 34. de rep. II. p. 52. bis. Liv. I., 30. Tac. Ann. I., 36. et innumeris locis, aut quod *omnino augetur*, i. e. maius fit, quam antea fuerat, aut denique, sed ea significatio est rarior, quod *incurvatur*. Utriusque significationis exempla reperiuntur apud Virgilium aliosque poetas, quibus eas solutæ orationis scriptores fere reliquisse videntur. Qui vero *quasi* tribus centurias esse a Livio vocatas arbitrantur,

præter hæc omnia ne nimis poetice locutum esse fingant, videndum, imprimis cum vel ex ipsorum sententia non totarum, sed dimidiarum tantum tribuum speciem illæ præ se tulerint. Itaque, quamvis tanta virorum auctoritas persuadeat, promta esse exempla ad infirmitatem meam iuvandam, tamen antequam ullam ex illis explicandi rationibus, præter eam, quam Pantagathus exhibuit, ex usu orationis Romanæ ferri posse credam, ea afferri velim, quo et alii vera a falsis queant discernere. Sed etiamsi doceatur, ferri posse aut omnes, aut unam ex illis, alia tamen sunt, et ut mihi quidem videtur gravissima, quæ omnibus repugnant. — Nam qui ita locum intelligunt, quasi Livius scripsisset: *Nec mirari oportet, hunc rerum statum* (i. e. centuriarum numerum et rationem cum tribubus), *qui nunc, ex quo XXXV. tribus expletæ sunt, eo effectus est, quod centuriarum numerus duplo quam tribuum maior evasit, centuriis in iuniorum seniorumque centurias divisis, ad institutam a Ser. Tullio summam* (centuriarum an tribuum?) *non convenire*, hæc videant. Primum, cum ex hoc ipso præcipue loco efficiant LXX tantum posteriore tempore fuisse centurias, eamque mutationem esse effectam discretis iuniorum seniorumque centuriis; hæc inquam videant: Livium ipsum, ut alios taceam, contrarium probare, cum in iis quæ proxime antecedunt non posteris temporibus, sed Ser. Tullio descriptionem populi in *iuniorum seniorumque* centurias tribuerit, adeo, ut eodem eadem in re et socio et adversario utantur. Deinde non de centuriarum, sed de tribuum mutato numero Livium agere, aperte iis doceri, quæ proxime sequantur:

quadrifariam enim urbe divisa etc. Denique aliis rebus plurimis, immo re ipsa doceri, centuriarum numerum non esse mutatum, certe non imminutum: quæ si mihi contigerit, ut rationibus, quas infra aptiore loco afferam, adducti mihi concedatis, apertum iam videbitur, hanc huius loci interpretationem quam vis ingeniosam, tamen non esse veram. — Eadem aliqua ex parte eam quoque interpretationem reiicere videntur, qua retentum esse universarum centuriarum numerum, sed ad LXX redactas primæ classis centurias affirmatur. Sed alia accedunt. Primum enim apud Livium nulla *primæ classis* est mentio, sed verba illa siquidem omnino ad centurias pertineant, ad universas certe esse referenda, non dubium videtur; deinde certum esse infra demonstrabimus, non universas classes per universas tribus postea esse distributas, sed singulas classes suas continuisse tribus et centurias: quare fieri non poterat, ut ad singulas tribus binæ primæ classis centuriæ pertinerent. — Eadem fere ad eos pertinent, qui tribuum quasi numerum duplicatum censent, cum centuriæ, senioribus a iunioribus divisis, vel seniorum iuniorumque centuriis in tribus relatis, septuaginta factæ sint. Sed illud quoque accedit, quod nusquam singulæ centuriæ vel *tribus*, vel *quasi tribus* vocantur. Pantagathi denique sententia, quam e legibus orationis Latinæ ceteris omnibus præstare antea iam dixi, tribus præcipue de caussis reprehendenda videtur (taceo enim quæ de reliquis monui): quod et vocabulum *earum* ad centurias refert quæ sequuntur, cum multo facilius ad tribus, quæ præcedunt referatur; et numerum fingit ingentem, cuius nulla usquam mentio, cum contra

omnes consentire videantur, non esse centuriarum numerum mutatum; denique quod antiquus centuriarum numerus instituto iuniorum seniorumque discrimine *duplicari* non poterat, cum equites non essent nisi iuvenes (v. infra), ita ut non CCCLXXXV., sed CCCLXVIII. ad summum centuriæ essent effectæ.

Quæ cum ita sint, iam quomodo mihi locus ille intelligendus esse videatur exponam. Ita enim verba coniungo: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc, post expletas duplicato earum numero quinque et triginta tribus, est centuriis iuniorum seniorumque, ad institutam ab Ser. Tullio* (tribuum) *summam non convenire.* — *Ordo qui est centuriis* est ratio, qua centuriæ suffragia ferunt cum tribuum ratione coniunctæ; *centuriis* dandi casu est accipiendum, a quo verbum *est* ob numerum oratorium disiunctum est et ad verba *qui nunc* translatum; verba *duplicato earum numero* ad tribus refero, quarum a Servio dimidium tantum posteriorum tribuum numerum esse institutum arbitror, qua de re statim plura addam *); non interposita esse hæc a Livio verbis *post expletas XXXV. tribus,* quamvis apertior ea ratione sensus fuisset, neminem tamen potest offendere, cum similia apud optimos scriptores sint frequentissima. Sic apud Ciceronem ipsum de rep. II. p. 52. hæc legimus: *mille ac ducentos fecit equites, numerumque duplicavit:* pro quo non minus, quam apud Livium, dicendum fuisset: *numero duplicato CI Ↄ CC. fecit equites.* — *Cen-*

*) Hac in re Sigonium (l. antea laud.) mihi suffragari, posteaquam illa scripseram, intellexi.

turiæ porro *iuniorum seniorumque* nihil aliud indicant, quam alibi solum *centuriarum* nomen, quo vocabulo hoc loco Livius uti noluit paullo antea eodem capite de *equitum centuriis* locutus, quas solo *centuriarum* nomine appellavit. Non enim hoc loco de solis equitum centuriis, sed universe *de centuriis omnis generis* loquebatur. Eas autem *iuniorum seniorumque centuriarum* nomine esse affectas, immo proprium fortasse quoddam earum hoc nomen fuisse, quo a solis equitum centuriis discernerentur, Cicero docet Verr. V. 15: *Tu cum esses prætor renuntiatus — —, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties seniorum iuniorumque centuriis illo honore affici pronuntiavit.*

Sensum autem totius loci hunc esse censeo, non esse mirandum, eam rationem, qua Livii ætate universæ centuriæ per tribus fuerint distributæ, non convenire ad eum tribuum numerum, qui a Servio sit institutus. A Servio enim fuisse XVIII. tribus, per quas CXCIII., vel CXCV. centuriæ distribui non potuerint, præsertim cum ob parem numerum suffragia tributim ferri nequiverint; iam vero duplicato tribuum numero XXXV. esse factas, per quas distribui possint. Neque si per numerum antea potuissent, per ipsam naturam earum rationem potuisse coniungi. Nam Servii ætate tribus *regionatim* divisas, quatuor urbanas, (duodecim rusticas — V. supra et infra.) ad centuriarum distributionem numerumque nihil pertinuisse; iam vero, cum *generibus* hominum (cf. Liv. XL.) atque *fortunis* sint divisæ tribus urbanæ quatuor, XXXI. rusticae, vel maxime pertinere.

Numerum tribuum Servianarum fuisse XVIII.

ut credam, alia etiam sunt quæ me adducunt. Supra enim (p. 12.) verisimile esse monui, morem a Romulo inductum, nisi malis retentum, quo e singulis tribubus equitum centuriæ singulæ eligebantur, esse ad liberæ usque reip. tempora servatum. Cui sententiæ suffragari videtur Dionysius l. antea laud. IV., 14. p. 671: *καὶ οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς στρατιωτικά, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικάς, καὶ τὰς ὑφ' ἑαυτοῦ διαταχθείσας ἐποιεῖτο* *). Itaque cum duodeviginti fuerint equitum centuriæ a Servio *κατὰ τὰς φυλὰς τὰς τοπικὰς* descriptæ, efficio, etiam tribus fuisse duodeviginti. (Cf. quæ infra addam.) Præterea notissimus est multumque iam nunc a viris summis disputatus librorum de rep. Ciceronianorum locus, quo classium centuriarumque rationem breviter attingit; sed illud miror nemini adhuc in mentem venisse, quod certum mihi esse videtur, ea verba, a quibus illud ipsum libri secundi fragmentum, quo locus ille continetur, incipit, male iuncta legi. Ita enim habent (p. 53.): * * * *duode-*

---

*) Alius est eiusdem Dionysii locus, qui primum inspicienti eodem pertinere potest videri, revera autem alio referendus est: VI., 13. p. 1068 sq.: *ὑπὲρ ἅπαντα δὲ ταῦτα ἡ μετὰ τὴν θυσίαν ἐπιτελουμένη πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἳ κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι, στοιχηδὸν — πορεύονται πάντες.* In his enim Dion. transvectionem equitum describit qualem ipse viderat. Sed ea ætate certum est non esse ex singulis tribubus singulas equitum centurias electas. Quare nihil aliud eo loco docetur, nisi illud, quod etiam aliunde constat, equitum centurias postea non fuisse per omnes tribus distributas, neque etiam tribubus exclusas, sed suas aliquot tribus effecisse.

viginti censu maximo. Deinde equitum magno numero ex omni populi summa separato reliquum populum distribuit in quinque classes etc. — In his, fateor enim, numerus ille *duodevicenarius* cuivis statim ad equitum centurias, quarum eum numerum a Servio esse factum, ut infra videbimus, satis constat, pertinere videbitur; sed aliter rem habere qui accuratius locum inspexerit fatebitur. Nam quae statim sequuntur verba: *Deinde equitum — numero — separato* rell. vel nolentibus nobis atque invitis persuadent, oculisque ipsis obiiciunt, diversos esse equites ab his *duodeviginti*, a quibus fragmentum incipit. Quis enim, obsecro, eam *ταυτολογίαν*, quam Caesari talium amanti vix condonemus, Ciceroni obtrudet? Nec, quosnam Cicero intellexerit, difficile videtur expeditu. Nam cum hoc ipso libro secundo res Romanas, eas praesertim, quae ad rempublicam mutandam fecerunt, percurrat, iamque in eo sit, descriptis iis, quae primi quinque reges in republica constituenda atque immutanda egerant, ut Servii Tullii regimen, rationemque qua rempublicam ordinaverit exponat, necessario earum rerum omnium a Cicerone mentionem fieri debuisse nemo dissentiet, quarum summum fuisset in rebus publicis mutandis atque constituendis momentum. Atqui classium centuriarumque meminit; tribuum vero mutatarum in iis, quae supersunt, ne mentio quidem. Quarum tamen mutatam rationem et numerum gravissima fuisse, immo, aeque paene valuisse ad remp. postea aliter ordinandam, atque ipsas classes, nemo facile negabit. Omitti igitur non poterant, neque etiam longo spatio earum mentio a classium commemoratione

disiungi poterat ob argumenti similitudinem. Quare aegre mihi persuaderi sinam, errare me, si hiatum, qui inter duo de Servii rebus fragmenta cernitur, eam hausisse contendam, præsertim cum, quorsum numerus ille duodevicenarius pertineat, nisi aut ad equitum centurias, ad quas referri eum non posse supra docui, aut ad tribus, prorsus intelligi nequeat. Quibus rebus adductus punctum, quod inter duo verba *maximus* et *Deinde* legitur, loco movendum, et post primum huius fragmenti vocabulum inserendum, universam autem Ciceronis sententiarum seriem ita fere esse restituendam, certo affirmare ausim: „Universum populum non iam ut Romulus secundum gentes, sed, quoniam earum discrimen iam pæne abolitum videbatur, e locis in tribus descripsit *duodeviginti. Censu maximo deinde* *) *equitum magno numero separato* et quæ sequuntur. — Unum iam addam de quo Bellefortius me monuit (l. l. Vol. II. p. 68.), XIX. a Servio tribus esse institutas docturus. Namque anno u. c. CCLIX. factas esse tribus XXI. Livius docet II., 21. Eo autem tempore, quod inter Servii regnum et hunc annum interiectum erat, Appii Claudii adventus atque alia civium numerum ita auxerant, ut, cum a Servio LXXX. vel LXXXIV. ferme civium millia fuissent censa (v. s.), proximo abhinc anno CX.

*) Neminem, credo, vocabulum *deinde* offendet duobus verbis postpositum, quamvis plerumque vel in ipso periodi initio, vel secundo loco legatur. Sed cum ita vocabula *censu maximo* cohaereant, ut quasi coaluisse videantur, exemplis res egere non videtur. Quae tamen si quis desideret, praeter alia loca plurima Livium legat III., 55: *Per interregem deinde*, et eodem libro et cap. *M. Duillius deinde tribunus pl.*

millia censerentur.' Dion. VI. c. extr. p. 1265. Quare non imminutus, sed auctus hoc anno tribuum numerus esse videtur. Atqui rationibus subductis, discrepare civium per hoc temporis spatium numerum triginta vel sex et viginti ferme millibus invenimus, e quibus dimidiam ferme partem si ad veterum civium prolem referamus, reliquos aliunde advenisse, atque ita civitatem accepisse statuamus, non multum fortasse fallamur. Cum vero XXI. illæ tribus CX. civium millia continerent, singulas quinis ferme comprehensas esse necesse est. Itaque quindecim illa, quæ modo effecimus, advenarum millia tribus novis tribubus esse comprehensas simillimum sane vero esse videtur, quæ res ad XVIII. illas quas Servio tribuimus tribus optime convenit. — Denique iam argumentum quoddam adiiciam, cui tamen multum tribui noluerim. Antea enim ex Livio X., 6. didicimus, constitisse inter augures, *imparem numerum debere esse, ut tres antiquæ tribus — — suum quæque augurem* haberent. Unde ipse efficit, augures non nisi aut tres, aut sex, aut novem, et sic porro, esse posse. Cuius rei quodnam aliud fuisse consilium credamus, quam ut augures ad tribuum numerum essent accommodati (cf. s.)? Quæ res a Servio ita fuerit servata duodeviginti tribubus institutis, ut singuli augures ad ternas tribus pertinerent.

Jamque e Livii Ciceronisque sententia atque e re ipsa, duodeviginti tribus Servium condidisse, demonstratum esse videtur. Nec repugnans Varronis Fabiique opinio, tribus fuisse triginta, quam supra attuli (nam Venonium Niebuhrius refutavit Hist. Rom. T. I. p. 254.) videretur admodum curanda,

nisi hac ipsa nostra ætate fautores summos invenisset, orta quippe, ni vehementer fallor, ex tribuum atque curiarum, quam posteriore tempore frequentem fuisse infra docebo, permutatione *). Sed Niebuhrius Hist. Rom. T. I. p. 256. Fabium atque Varronem, cum triginta fuisse a Servio institutas tribus retulerint, arbitratos esse autumat, atque ipse eorum sententiæ adiicit, cum XXX. ex curiarum numero patriciarum tribus quoque fuerint plebeiæ, a Porsenna tertiam partem agri Romani ipsis Romanis esse ademtam, ideoque, cum regionatim tribus essent divisæ, tertiam tribuum partem esse abolitam, adeo, ut XX. tantum ab anno inde CCXLVI. restiterint. Claudiam vero tribum non ut Livius auctor sit (II., 16.) anno u. c. CCL., sed CCLIX. demum esse additam, adeo ut tum XXI. tribus factæ sint. Parum enim esse verisimile, agrum Romanis primo ademtum statim (anno CCXLVII. Liv. II., 15.) a Porsenna esse restitutum. — Et sane equidem non admodum repugnabo si quis vanam hanc esse Romanorum gloriationem verisimile duxerit, quamvis magnam huic rei Bellefortius (l. l. V. I. p. 46.) veri speciem conciliarit. Sed hæc equidem non morabor, cum alia sint longe graviora isti rei explicandæ rationi adversa. Nam ut hoc taceam, nondum idoneis argumentis esse comprobatum, tribus non nisi plebeios continuisse, immo, ex mea sententia certum esse, universum iis

*) Aliter Sigonius l. l. I., 3. rem expedire conatur, qui permutata esse a Fabio *regionum* et *tribuum* nomina, quorum illud recte servarit Varro, arbitratur. Sed altera ratio facilior mihi videtur.

populum esse comprehensum (vid. Wachsmuthum in egregio de rebus Romanorum commentario, et nostram disp. infra) — sed his, inquam missis, vehementer equidem dubito, tertiam agri Romani partem esse ab Etruscis occupatam. Nam si vel solum antiqui temporis morem atque Etruscorum militiam contemplemur, contrarium ni fallor demonstrabitur. Etenim ipse Niebuhrius p. 253, Etruscos non esse iusta peditum acie usos, sed equitibus tantum atque incondita quadam peditum turba, non nisi ad impetum faciendum vastandumque agrum hostilem apta, fatetur. Qui igitur credere poterat, vi eos agrum Romanis ademtum potuisse defendere nisi colonis in eum missis, quorum nulla est mentio? Deinde duplicem fere devictos tractandi apud antiquissimos et Italiæ et alios populos rationem animadvertere nobis videmur. Nam totis populis gentibusve devictis eæ plerumque pacis conditiones ferebantur, ut belli pacisque essent socii, agrumque retinerent, sed stipendiarium; singulæ autem civitates bellum cum tota aliqua gente ingressæ vel diruebantur, vel præsidio imposito ad imperium adiiciebantur. Quæ res non solum exemplis comprobatur, qualia apud Dionysium III., 60. p. 567. c. 66. p. 579. Liv. I. 38. coll. Dion. l. l. c. 50. p. 546. alibi, leguntur, sed provinciarum imprimis quæ postea instituta est ratione. Postero enim tempore civitatibus a Romanis devictis nunc omnia integra relinquebantur, sed ita, ut vectigalia penderent, nunc omnia adimebantur, adeo, ut vel, si clementia Romani uterentur, a censoribus publice locarentur agri pristinis possessoribus, vel ipsi Romani iis uterentur. (Vid. disp. meam præterito anno editam

de provinciarum forma cap. 2. et 11.). Immo ipsa illa quam e Livio I., 38. afferunt deditionis formula ostendit, non particulam quandam agri dedititiis plerumque esse ademtam, sed aut universum agrum, aut nihil, nisi si forte tam propinqui essent agri, ut utriusque civitatis, et victæ et victricis cives æque eos colere possent, aut victoribus inopia esset agrorum, nimia vero civium copia, adeo, ut coloniam deducerent. Longe aliam fuisse *foederum* foederatarumque civitatium rationem, quibus interdum agri partem esse ademtum facile concedo, non opus est addere. At Romam non foedus cum Porsenna iunxisse, sed in deditionem imperii esse redactam, iam dudum Bellefortius l. l. p. 41 spp. eumque secutus Niebuhrius l. l. p. 350 sqq. contra Livium atque Dionysium docuerunt, auctoribus usi si qui sunt alii locupletissimis Tacito Hist. III., 72 et Plinio H. N. XXXIV., 39. Quæ cum ita sint, plura etiam e civitatium provincialium comparatione effici posse videntur. Eiusmodi enim civitates in rebus publicis quidem sui iuris esse desierunt, quamvis privatim iura retinerent (Cf. eand. disp. meam cap. 10.). Itaque siquidem, quod veri est simillimum, Roma tunc Porsennæ imperio est adiuncta, aut universæ tribus dissolutæ sunt, utpote nullius plane utilitatis, sive amissum agrum, sive credas retentum, aut solarum quatuor urbanarum species quædam remansit, siquidem agrum putaveris ereptum, aut denique omnes servatæ sunt, specie magis, quam revera, quæ res fieri poterat si stipendiarium vectigalemve factum opinatus fueris agrum universum. Et nescio profecto, an ita ut postremo loco dixi res habuerit. Nam si agrum aut totum, aut aliqua ex parte ami-

sissent Romani, postea sane bello esse receptum oporteret, nisi Romanorum de Porsennæ clementia fabulam veram habueris. At cum tam diligentes fuerint Romani in victoriis tradendis atque cumulandis, agri transtiberini recepti nulla est mentio, nisi in bellis cum Veientibus gestis receptum eum putemus. Quæ ipsa fuisse caussa videtur fingendæ illius de agro restituto fabulæ. Quare ita mihi videtur, Romanos, cum mallent agri partem amisisse se posteros credere, quam in ditionem Etruscorum atque servitutem esse redactos, cumque nemini credibile visum iri intelligerent, Porsennam post tantos apparatus bellicos atque adeo ad incitas redactis Romanis prorsus infecta re redisse, exiguam istam quam Veientibus Romulus ademerat agri partem amissam atque illis restitutam esse finxisse; revera autem eam eorum tunc fuisse conditionem, quam ipsi postea servilem appellavere (vid. disp. meam l. c. 1.): retinuisse quidem agrum, sed stipendiarium, vel certe vectigalem. Postea autem tributa esse neglecta, neque exigi potuisse Roma interea viribus aucta, Etruscis ipsis fortasse dissidentibus. Hæc optime convenire ad populorum tantum non barbarorum agendi rationem, omnium populorum res antiquæ abunde docent. Neque tributa esse retenta a Romanis, postea commemorari oportebat, cum talia et ignominiam Romanis attulissent, neque fortasse desubito tributa sint neglecta, sed paullatim.— Sed fieri fortasse poterat, ut reliquo agro stipendiario facto Veientibus suus restitueretur, quamvis parum probabile videri possit, Porsennam, Clusii regem (Dion. V., 15. p. 923. Liv. II., 9.) Veientibus consuluisse, suos neglexisse, nisi forte tributa

Clusinis dandum imperavit, agrum poposcit, quo Veientium invidiam demulceret. Sed utut ea res sit, exiguum illum fuisse agrum et Livius et Dionysius docet. Ille enim II, 13. in pacis conditionibus, de quibus Romanis cum Porsenna convenerit: *De agro*, inquit *Veientibus restituendo impetratum*, quæ verba ad alterum locum I, 15. respiciunt: *Agri parte mulctatis* (Veientibus) *in centum annos induciæ datæ*. Ergo ne Veientium quidem universus iste fuit ager, sed particula quædam prope Romam sita, quam rem accuratius etiam Dionysius definit, quo narrante (V, 31. p. 915.) Porsenna inter pacis conditiones legatis mandavit: *ἑαυτῷ αἰτεῖσθαι — τοὺς καλουμένους Ἑπτὰ πάγους* etc. Quos Septem pagos ipse (II, 55. p. 353.) in pace a Romulo cum Veientibus facta exponenda describit: *χώραν τε ἀποδοῦναι Ῥωμαίοις τὴν προςεχῆ τῷ Τιβέρει, τοὺς καλουμένους Ἑπτὰ πάγους*. Ergo regio fuit Romam contingens ad Tiberim, Veios versus sita, neque eam ad mare usque pertinuisse, ea docent, quæ statim sequuntur. Pergit enim: *καὶ τῶν ἁλῶν ἀποστῆναι τῶν παρὰ ταῖς ἐμβολαῖς τοῦ ποταμοῦ*, quibus aperte salinas, oramque igitur maritimam diversa fuisse ab illa regione testatur. Livius porro loco modo laudato II, 13. et Dionysius V, 36. p. 923. Janiculum præsidio esse liberatum, et *patres C. Mucio virtutis caussa trans Tiberim agrum dono dedisse* auctores sunt, *quæ postea sint Mucia prata appellata*. Ex quo non minus quam e Dionysii locis antea allatis efficitur, ne omnia quidem, quæ trans Tiberim ad agrum Romanum pertinuerint, iis esse adempta, quamvis et ea vix credam tertiam agri Romani partem effecisse, sed particulam quandam satis fortasse exiguam;

quare immerito colligi a Niebuhrio decem tribus esse abolitas. Immo si censuum numeri essent certi, cum si Dionysio fidem habeamus anno u. c. CCXLV. centum triginta, anno CCLII. centum quinquaginta civium millia sint censa, efficeretur, auctum potius quam imminutum esse tribuum numerum. Namque certissima ni fallor est agrorum amplitudinis putandæ ratio quæ e civium numero instituitur, nisi ubi mercaturæ atque similibus quæstus generibus magis quam agriculturæ homines sunt dediti. De censu illo v. Dion. V, 20. p. 892. et c. 75. p. 1029. Sed nimium huic argumento tribui in tanta numerorum in libris scriptis corruptione nolim. Gravius autem multo illud videtur, quod Livii testimonium, ex quo iam diu antequam XXI tribus fierent tribus Claudia est addita, non nisi gravissimis rationibus nobis adactis licet reiicere. Itaque cum facile rem omnem expediri, si XVIII tribus a Servio esse institutas credamus, ostentum esse videatur, Fabii autem sententia facillime ex tribuum curiarumque permutatione oriri potuerit (v. i.), hunc et Varronem sane si viverent Niebuhrio gratiam esse habituros confido, quod suam ipsis sagacitatem voluerit impertire; sed ingenue tamen fassuros, sibi talia in mentem non venisse. — Nomina antiquissimarum harum XVIII tribuum haud facile accurate quis prodiderit, imprimis quoniam multa insequenti tempore sunt mutata. Sed universas quæ postea exstiterunt tribus egregie recensuere Sigonius l. l. et Boindinus (Mem. Acad. Inscr. Tom. V. p. 92 sqq.) eumque secutus Bellefortius T. II. p. 76. sqq. alii. Quare nos ea in re tempus ne consumamus.

E singulis tribubus singulas esse electas equi-

tum centurias, supra e Dionysio IV, 14. p. 671. alisque locis didicisse nobis videmur, imprimis cum e Ciceronis verbis supra allatis: *Censu maximo deinde equitum magno numero ex omni populi summa separato reliquum populum distribuit in quinque classes,* apertum esse videatur, revera equites non *pertinuisse* ad primam classem, sed *ascriptos* tantum ob dignitatem fuisse, lectos ante classium descriptionem; classes vero ipsas non nisi ad pedites pertinuisse. Nam quod Livius I, 43. prodit, priores peditum classes, posteriores equitum centurias esse descriptas, aut errori, aut non satis accurato in his dicendi generi esse tribuendum, præter Ciceronem Polybius docet, cui in omnibus summam esse fidem et Cicero non ignorabat, quem ex illo fere omnia hausisse de republica recte Niebuhrium indicare arbitror, et nos summo cum dolore de temporum iniuria intelligimus. Qui loco antea allato, VI, 18. auctor est, equites ab eo inde tempore, quo ex censu legi inceperint, priores quam pedites esse lectos. Atqui a Servio eos ex censu esse lectos, omnes consentiunt: et Cicero verbis illis *Censu maximo,* et Livius I, 43. his verbis: *Equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias tribus ab Romulo institutis sub iisdem quibus inauguratæ erant nominibus fecit,* et Dionysius IV, 18. p. 681: *τὸ δὲ ἱππέων πλῆθος ἐπέλεξεν ἐκ τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον τίμημα καὶ κατὰ γένος ἐπιφανῶν* etc. Denique non vere equites ad primam classem pertinuisse inde apparet, quod ab omnibus ab ea separantur. Dion. l. l. *καὶ προςένειμεν αὐτοὺς τοῖς πρώτοις τῶν φαλαγγιτῶν ὀγδοήκοντα λόχοις.* Liv. l. l. *Equites enim vocan*

bantur primi; octoginta inde primæ classis centuriæ etc. Cic. l. l.

Sed quod de censu equitum dixi, non ad universos pertinet. Quamvis enim primæ classi omnes annumerarentur, duo tamen, diversissimaque eadem eorum erant genera, id quod nuper admodum, cum Ciceronis de republica fragmenta ederentur, sumus moniti. Sed exstare mihi loca quædam videntur, e quibus maior eorum discrimini lux affulgeat. Nota enim sunt illa: Liv. I, 36: *Numero* (equitum) *alterum tantum adiecit, ut mille et octingenti equites in tribus centuriis essent. Posteriores modo, sub iisdem nominibus, qui additi erant appellati sunt. Quas nunc, quia geminatæ sunt, s e x vocant centurias.* Cic. de rep. II. p. 54: *Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriæ cum sex suffragiis* etc. Festi p. 1211: *Sex suffragia appellantur in equitum centuriis quæ sunt adiectæ ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit.* E quibus apertum est sane, diversa fuisse equitum genera; sed dubium est, quomodo fuerint diversa. Non enim solum, utri alteris dignitate præstiterint, dubitant, sed illud quoque dubium videri potest, utrum *tres quas Tarquinius descripsit*, sive, quod idem est, *sex quæ Servio rege ex illis ortæ sunt*, an *duodecim quas Servius addidit centuriæ* eo nomine vocatæ sint. Alteri enim sententiæ Livius favet, alteram Festus solum inspicienti amplecti videtur. Sed huic sane rei facile remedium paratur. Nam cum neque Festus, nec Paullus Diaconus auream ætatem loquendo imitati, nedum assecuti sint, nihil profecto impedit, quominus *adiectæ* hoc loco idem esse, quod apud melio-

ris notæ scriptores *attributæ*, statuamus. Qua quidem re omnia expediuntur. Sed alterum restat longe non solum gravius, verum etiam difficilius, quodque ex istis locis nihil medelæ capiat, utri alteris vel opibus, vel dignitate præstiterint. Cui rei nescio, an aliunde clariorem lucem afferam. Namque ipsum nomen quidem *sex suffragiis* prærogativam quandam dignitatis tribuere videtur, quippe proprio quodam *centuriarum* nomine insignitis. Sed plura adversantur, quam ut eius rei ratio habeatur. Etenim Livius eo capite, quod sæpius iam laudavi, I, 43. *Ita pedestri exercitu*, inquit, *ornato distributoque equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias tribus a Romulo institutis sub iisdem quibus inauguratæ erant nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data; et quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent. Hæc omnia in dites a pauperibus inclinata onera.* Ex huius loci initio *sex centurias* non esse ex primoribus civitatis scriptas apparet. Neque enim alio sensu út *alias* disparare eas a duodecim istis centuriis potuisset. Neque quæ sequuntur obstant. Nam quæ de viduis ad equos publicos alendos attributis (equidem enim, quare ad contortam verborum structuram sit confugiendum, non intelligo) deque ipsis equis publicis traduntur, quamvis ab omnibus adhuc quod sciam interpretibus, Niebuhrio fortasse (H. R. I. p. 265.) excepto, ad universos equites sint relata, tamen ad solas sex centurias, quæ posteriore loco nominantur, esse referenda, certissimum. Non enim solum res ipsa sententiam nostram probat, quoniam ineptum

fuisset ditissimis hominibus ad equos emendos et alendos pecuniam numerare; sed ipsa quoque Livii verba, si accuratius ea inspiciamus, quam maxime sententiae nostrae favent. Nam ut pecuniae summam ad equos emendos alendosque collatam taceam, quamvis in ea quoque non minimum est ad rem demonstrandam momentum, quoniam si singulis equitibus eam attributam censeas, unius equi pretium universum paene quintae classis censum aequaverit necesse est: quod qui fieri poterat, cum ex frequenti proeliorum equestrium antiquissimo tempore mentione appareat, equos non fuisse neque raros tantopere, neque caros? at si universis assignatam putes, minor fuerit summa, quam quae tot equis emendis sufficeret: quare singulis sex centuriis duodena millia gravis aeris (nam de unciario cogitari non posse, et res ipsa docet, et infra nos quoque demonstrabimus. Cf. etiam Wachsm. p. 230. sqq. 237., qui singulas XVIII centurias intelligit, et Nieb. I. p. 268. sqq.) esse attributa arbitror — his igitur missis, extrema Livii verba, *onera a pauperibus ad dites esse inclinata*, nos certiores faciunt: quae quidem verba ad viduas pertinere negari non potest. His enim onera sunt imposita, equitibus illis, qui pecuniam accepere, adempta. Ergo si duodecim quoque centuriae pecuniam acceperint, eos quoque *pauperibus* Livium annumerasse oportet, quos paullo ante *primores civitatis* dixerat. Omnem denique dubitationem Cicero tollit, quem supra (cap. 1.) tributum illud a viduis ad equos alendos collatum ad Tarquinium referre docui. Atqui Servium primum ex censu equites legisse satis constat, quoniam is primus censum instituit, antea postremos

equites esse lectos, auctor est Polybius l. l. VI, 18., ex quo efficitur, optimum quemque et robustissimum esse ascriptum, equites vero postea eos fere esse electos, qui vel ob penuriam, vel alia qua caussa iustæ militæ non satis apti esse viderentur. Sex centurias autem eandem, qua sub Tarquinio usæ fuerant, rationem etiam sub Servio retinuisse e Livii verbis apertum est: *Sex alias centurias tribus a Romulo institutis — fecit.* Postea demum equus publicus honori datus esse videtur. Unus reliquus est locus, quo sex centuriarum mentionem factam invenimus, lapis Vespasiano Imperatori inscriptus (apud Gruterum p. 243, 1.), de quo infra dicendi locus dabitur. Hoc certum est, *duodecim* equitum centurias et sensu et dignitate reliquas sex superasse. Qua ex re, sagacissima coniectura (necdum enim argumentis in ea re probanda usus est) occupata, V. S. Niebuhrius Livii locum XLIII, 18. de quo postea dicemus illustravit in libello de comitiis centuriatis præterito anno Germanice edito (Romæ, 1823. 8. p. 15.). Quamvis autem certa res esse videatur, unum tamen expediendum restat, quo Wachsmuthus V. S. (p. 238.) usus, universis equitibus esse ad equos emendos etque alendos publice pecuniam attributam censuit. Mirus enim est locus, Liv. V, 7, et magis mira ratio, qua in eo vel corrumpendo, vel torquendo interpretum nonnulli sunt versati. Namque clade a Romanis ad Veios accepta *quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, factaque dicendi potestate equis se suis stipendia facturos promittunt. — — Senatusconsultum factum est — —, Placere, — omnibus his voluntariam extra ordi-*

nem professis militiam æra procedere. Et equiti certus numerus æris est assignatus. Tum primum equis merere equites cœperunt. Sic vulgo legitur; sed magna est codicum mss. de verbis *equis merere* dissensio. Omnes enim quotquot Drackenborchius laudavit, non *equis*, sed *equos* exhibent, pro *merere* vero alii habent: *sumerere*, alii *emere*, alii *mereri*, quod verbum nunc alteri præponitur, nunc postponitur. Verba *æra procedere* egregie duumviri, quibus tantum Livius debet, J. F. Gronovius et Drackenborchius illustrarunt. De *numero æris* dubitari potest, an recte eum Drackenborchius explicarit, quamquam equidem verum eum vidisse arbitror. Namque anno u. c. 349. militi stipendium de publico decretum Liv. IV, 59, *omnium maxime tempestivo in multitudinem munere*, in quibus multitudinis vocabulum equites excludere videtur. Anno 354. tributum in stipendium conferendum commemoratur, sed nulla equitum mentio Liv. V, 10. Sed eodem anno Cn. Cornelius Cossus Tr. Mil. triplex stipendium equitibus dedit Liv. V, 12. Quæritur igitur, num tum primum equites stipendium acceperint, an antea iam simplici usi, tunc maiore stipendio donati sint. Hæc si vera est ratio, verba illa *certus numerus æris est assignatus* ad stipendium illud pertinere videntur, et recte habent verba illa *equis merere*. Sed vereor, ne durius sit hæc verba ita intelligere, ut *merere* idem sit quod *lucrum facere*. Præterea recte ni fallor Drackenborchius monuit, ipsam illam pecuniam a viduis collatam esse stipendium quoddam. uare altera ratio præstare videtur. Sensus igitur hic fuerit: illam militiam, cui extra ordinem nomina dederint,

de stipendiorum quæ facere debuissent summa esse deductam, atque ita esse constitutum, quot stipendia postea essent facienda. Sed illud iam quæritur, quid tandem novi sit institutum atque tam inauditum, ut patres exsultarent? Sunt qui pro *equos sumere* legant *equis suis merere.* Sed falsos esse inde apparet, quod longe verisimillimum esse modo intelleximus a primo inde initio ditiores equites suis equis meruisse; nec illud est de quo lætantur patres, sed quod *omnino militiam sustineant,* quod *voluntariam,* quod *extra ordinem,* quod ii, qui liberi iam sint a militia. Et mirum sane videtur, nemini facillimam emendationem in mentem venisse. Lego cum Florentini cod. emendatore: equos *sumere.* Namque ut *arma, bellum, prœlium sumere,* ita dici posse *equum sumere,* vix quisquam, credo, dubitabit. At *sumendi* vocabulum verbo *recipere* opponitur et similibus, ita, ut illud voluntatem eius qui sumit, hoc vero eius qui præbet significet. Sic apud Cic. Verr. II, 73. hæc legimus: *Meminero, me non sumsisse quem accusarem, sed recepisse quos defenderem.* Sensus igitur est: antea non nisi qui lecti sint equites militiam subisse, ab eo vero inde tempore interdum etiam non lectos sua sponte stipendia fecisse. Qui quidem sensus et cum rebus et cum verbis optime congruit. Emendationem autem esse facillimam quis ignorat qui quidem sciat, quoties a librariis eadem syllaba per incuriam sit repetita, et quam facile in aliis libris syllaba *su* a præcedente littera *s* potuerit absorberi? Hoc certe apparere videtur, sive vulgatum lectionem tueamur, sive *sumere* legamus, ea quæ de equitum centuriis diximus huic loco non adversari. Jamque his ex-

positis transitus nobis ad egregiam illam classium atque centuriarum descriptionem patebit.

Ut per universam populi descriptionem a Servio constitutam multum esse tenebrarum supra monui, ita classium quoque et centuriarum distributio haud leviter obscuritate laborat. Nam tres sunt imprimis huius rei fontes, quorum duo certa lectione utuntur, tertius corruptus esse videtur, universi de rebus præcipuis concordes, in levioribus discordes; sed ea quoque de quibus consentiunt, aliqua ex parte ad Servii ætatem pertinère dubito. Antequam igitur rem ipsam aggrediamur, primum quæ a veteribus traduntur eruamus. Livius igitur I, 43. et Dionysius IV, 16—18. p. 676—682. VII, 59. p. 1449—1452, consentiunt, *sex classes* esse institutas civium; Cicero vero de rep. II, p. 53. Sallustius de ord. rep. II, 8. ipse Livius III, 30. aliique *quinque* nominant. Neque tamen ea in re vere dissentiunt, sed extrema classis ab his est omissa cum neque tributa penderet, neque militaret, et una tantum centuria contineretur. *Primæ* classi a Livio (l. l.) *centum millium* æris, vel maior census tribuitur; *secundæ* intra centum usque ad *quinque et septuaginta* millium; *tertiæ* intra hunc et *quinquaginta* millium; *quartæ* classi eos assignat, qui *quinque et viginti* usque ad quinquaginta millia æris possiderent; *quintæ* qui *undecim* millibus censerentur; *sextæ* denique quorum *minor* etiam esset census. Dionysius l. l. consentire leviter inspicienti videtur, nisi quod *quintæ* classi pro undecim millibus *duodecim millia et quingenta* æris tribuit, quæ sane ratio probabilis est admodum, et a plerisque vera habita. Et nos quoque libentes

adiicimus. Sed in omnibus longe discrepare eum arbitror. Nam cum pro *denis æris drachmam*, pro *millenis minam* nominet, cogitasse eum de *asse semunciali*, quo ipsius aquales utebantur, credendum est, nisi cum Niebuhrio (H. R. I, p. 268.) minus olim quam postea æris fuisse pretium existimes, quæ sane ratio non temere est abiicienda. At Livium *æs grave* intellexisse, et iure quidem, multa sunt quæ comprobant. Utrumcunque enim sequaris, quæritur: primum universane res familiaris intelligatur, an foenus annuum atque reditus; deinde si tota res, utrum singulorum patrum familias, an totarum gentium; denique æs grave an semunciale? Nam de iis assis generibus, quæ sunt intermedia, quadrantario, unciali, sim., ne cogitari quidem potest, cum ineptum fuisset neque eo dicendi genere uti, quod iis temporibus, de quibus loquebantur, esset proprium, neque quo ipsorum æquales uterentur, sed eo, quod obsoletum, neutri ætati conveniret. Primum igitur si foenus intelligas, primæ classis cives profecto singulos vel ipsis Pallantibus non longe esse superatos statuas necesse est, si vel maxime qui foenori darent pecunias lucro studuisse credas. Qui vero tantas eo tempore Romanorum fuisse divitias tibi persuadeas, quo tantillo tot homines utebantur agro, necdum ab opulentissimis istis exteris nationibus tributa exegerant? Deinde si totarum gentium Romanarum censum indicari putes, qui tandem quintæ classis cives potuisse vivere fingas, etiamsi ipsum foenus intelligas, nedum tributa pendere, vestimenta comparare, tot alia? Sed etiamsi fieri posse quis crederet, Livii locus statim afferendus eum confutaret. At si semunciali asse

confectas esse rationes arbitreris, quoniam de annuo reditu non esse cogitandum intelleximus, si non peius, tamen non melius quintam classem habuisse sequetur. Sed aliud est multo gravius, quod æs grave esse intelligendum comprobat. Etenim e Livio discimus, sub secundi belli Punici tempora censum esse mutatum. Is enim XXIV, 11: *Cum deessent*, inquit, *nautæ, Consules ex SC. edixerunt, ut qui L. Aemilio, C. Flaminio censoribus millibus æris quinquaginta ipse aut pater eius census fuisset usque ad centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendio daret; qui supra centum millia usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo; qui supra trecenta millia usque ad decies æris, quinque nautas; qui supra decies, septem; senatores octo nautas cum annuo stipendio darent.* Apertum est, senatores *primam* classem continere, *alteram* classem *decies* æris, *tertiam trecentis millibus, quartam centum millibus, quintam quinquaginta millibus* esse censam. Quorum quidem numerorum aliam esse rationem quam superiorum, inde consequi videtur, quod, quomodo omnium qui tributa conferebant infimi adeo censum potuerint augere, ut quater pristinum contineret, imprimis vero, qui rebus tam angustis omnes qui e Serviana classium descriptione ad quartam et quintam classem pertinuissent, tributo liberari potuerint, intelligi nequit. Sed si in Serviano censu tradendo Livius gravi ære, in hoc ex suæ ætatis usu semunciali usus fuisset, sibi ipse non constitisset. Quare aliam rationem indagemus. Gesta enim sunt ista anno u. c. 538. Paullo antea, 535. as uncialis in usum erat

receptus. Plin. H. N. XXXIII, 3. Ex quo tamen si quis numeros computet, non convenient illi. Reperiuntur enim $4166\frac{2}{3}$; $8333\frac{1}{3}$; 25000; $83333\frac{1}{3}$ gravis æris, denique primæ classis incertus census. Me vero sane, quamvis a patriciis esse pressos plebeios non ignorem, fugit tamen, ut fractos numeros taceam, quomodo inferiorum classium census adeo potuerit imminui, cum primæ et secundæ tantopere augeretur. Sed si accurate rem contemplamur, ne potuisse quidem Livium unciali asse uti, intelligimus. Censores enim illi, ex quorum censu numeri laudantur, L. Aemilius Papus et C. Flaminius, cum anno u. c. 533. censum agerent (Liv. epit. XX.), æs unciale nondum noverant, neque igitur tam ineptum fuisse Livium credere licet, ut eorum census numeros in eos mutaret, qui paucis annis post usurpandi fuissent. Quid igitur? Quadrantarium æs intelligendum. Ita hos numeros efficimus: 12500; 25000; 75000; 250000 gravis æris, qui cum Servii censu optime congruunt, siquidem in eo describendo Livium gravis æris ratione esse usum statuimus. Ultimæ enim classes tres pristinum censum retinuerunt, primæ tres auxerunt, quoniam earum in manu erant comitia centuriata, quare cavendum erat, ne humilioribus in superiores classes receptis campus foedaretur (Cf. infra de tribubus). Ex his ni omnia me fallunt apertum, per errorem Dionysium, si de semunciali asse cogitarit, suæ ætatis nummos cum antiquis permutasse.

Atque hæc de censu. Difficilior autem multo res est centuriarum numerum et universum et earum, quæ singulas classes effecerint, constituere, quamvis de rebus præcipuis Livius atque Diony-

sius consentiant. Uterque enim *primæ classi* centurias tribuit *octuaginta; secundæ, tertiæ* et *quartæ vicenas; quintæ triginta; ultimæ unam.* — *Primæ* classi ascripti sunt XVIII illæ quas supra descripsimus *equitum centuriæ*; sed ita, ut omnium primi irent in suffragia (Liv. I, 43.). *Duas fabrum* centurias Livius *primæ* classi, Dionysius *secundæ* addit; *tres accensorum, cornicinum, tibicinumque quintæ* classi Livius, contra *duas tubicinum* atque *cornicinum quartæ* Dionysius assignat: adeo, ut si Livio fidem habeas, CXCIII fuerit universarum centuriarum numerus, sin Dionysio credas, CXCIII. Atqui credi non potest, sapientissimum regem ita centurias instituisse, ut facile paria in utramque partem suffragia possent ferri: quare tantum non omnibus Dionysii placuit ratio, donec nostra imprimis ætate animum adverterent viri doctissimi, Livium, qui non nisi de censu atque armatura ageret, centuriæ cuiusdam mentionem omisisse, quæ suo censu non usa esset, sed ex omnibus quodammodo fuisset collecta. Namque e Festo s. v. *niquiscivit* p. 1175. discimus, instituisse Servium, ut quicunque, ad quamcunque demum centuriam pertinerent, sero venissent, unam universi centuriam efficerent, quæ omnium extrema suffragia ferret. *Sed in ea centuria*, pergit, *neque censetur quicquam* (leg. *quisquam*), *neque centurio* (sic leg. pro *centuria*) *præficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est eius centuriæ etc.* Qua ex re efficitur, non CXCIV, sed CXCV centurias, numero impari, ex Livii sententia a Servio esse descriptas. Cui Ciceronem assensum esse Niebuhrium secutus persuasum habeo, etsi anceps admodum atque incerta est de Cicero-

nis loco disputatio. Egregiam enim iudico viri illius summi emendationem et facillimam modo ne, quod invito illi excidisse calamo arbitror, fingamus, eum, qui in codice emendando versatus sit, librarium virumve doctum in uno eodemque loco corrigendo et alio librorum de republica exemplari et coniectura ita esse usum, ut verba *equitum centuriae cum sex suffragiis* ex libro scripto insereret, numeros ex arbitrio mutaret. Neque enim, quamvis ineptum fingas librarium, tam insulsum fuisse est verisimile, ut, cum emendatam scripturam oculis cerneret, ipseque esse emendatam non ignoraret (alioquin enim verba ista inde non desumsisset), numeros inde nollet transscribere, sed suo mallet uti ingenio; et longe facilior rei illustrandae subest ratio. Ita enim in illo codice, ex quo suum librarius emendavit, scriptum fuisse arbitror:

> *Nunc rationem videtis esse talem, ut prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data,* LXXXI *centurias habeat; quibus ex* CIV *centuriis, tot enim reliquae sunt, equitum centuriae cum sex suffragiis* [*decem*] *et octo solae si accesserunt, etc.*

X

Facillime enim qui ita scriptum legebat, numerum denarium margini ascriptum, qui numero CIV erat inserendus, ad superiorem numerum LXXXI poterat referre, atque eum inde, qui nunc legitur, numerum LXXXIX efficere. Verba autem ista, quae a prima manu leguntur, *equitum certamine et suffragiis* satis habuit mutasse, locoque pristino illis relictis, quoniam sensum ea re putabat non mutari,

alterum illum denarium numerum a Niebuhrio nunc insertum, quod eo quo legebatur loco omni sensu carebat, omisit. Quæ cum ita sint, ita locum recte habere, ut a Niebuhrio legitur, censeo, nisi quod pro *accesserunt* Ciceronem scripsisse *accesserint* arbitror. Diversus quippe sensus inest: vulgatam enim lectionem si prætuleris, sensus erit: *Quibus si ex reliquis centuriis solæ equitum centuriæ assensæ erunt*, ita ut has a primæ classis centuriis prorsus dispares, et inferioribus classibus addas; at *accesserint* si legas, hoc voluit Cicero: *Quibus si ex reliquis centuriis equitum centurias addideris* quas quidem, quamvis ad classes proprie nón pertineant (v. s.), primæ tamen classi suffragationem suam non esse recusaturas certum est, etc. — Pertinere hunc Ciceronis locum ad Servii tempora, satis ni fallor Niebuhrius docuit, quare supervacaneum iudico plura addere. Sed nihilominus multa insunt, quæ non sinunt tantum, sed cogunt etiam cogitare de ætate Scipionum, adeo ut equidem mirari non possim, criticorum summum, G. Hermanum, omnia ad ea tempora retulisse, cum ego quoque initio eandem sententiam secutus sim; sed postea ideo ambiguo illo, uti videtur, dicendi genere Ciceronem usum esse mihi persuasi, quod suo quoque tempore centuriarum numerus a Servio constitutus aut nihil, aut leviter esset immutatus, quam rem infra pluribus demonstrare conabor. Jam vero, quænam Ciceronis, eademque ni fallor Polybii, de centuriarum numero fuerit sententia, si expedire possim experiar. *Censu maximo deinde*, inquit, *equitum magno numero ex omni populi summa separato, reliquum populum distribuit in quinque*

classes, senioresque a iunioribus divisit, eosque (fort. leg. easque) *ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent, curavitque (quod semper in republica tenendum est), ne plurimum valeant* (adhuc, ni fallor) *plurimi.* Ex quibus illud nunc tenendum est, Ciceronem quoque ut reliquos optimatibus tot tribuere centurias, ut reliquas omnes vincerent, i. e. primam classem et qui ei fuerint asscripti plures continuisse centurias, quam reliquas cunctas, affirmare. Cetera vel supra tractavimus, vel infra illustrabimus. — Pergit igitur: *Quae descriptio si esset ignota vobis, explicaretur a me.* Quare ignota aut non *erat*, aut non esse *videbatur*, quoniam, ut mihi videtur, centuriarum per singulas classes numerum esse ad extrema tempora servatum memoria prodidit, eum vero, qui tunc erat, numerum nemo ignorabat. Sequuntur deinde quae supra attuli: quae tamen ita, ut in libro Ms. leguntur, iam afferam: *Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum* „*certamine et suffragiis*" (altera manus correxit: „*centuriae cum sex suffragiis*") *et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data* „*VIIII*„ (altera manus: „*LXXXVIIII*") *centurias* (addit altera manus: „*habeat, quibus ex cent. quattor centuriis*") *tot enim reliquae sunt, octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa; reliquaque multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum.* Reliqui in his numeri cum incerti sint atque dubii, adeo, ut nihil inde de Ciceronis sententia queat

effici, unus est certus, universarum nisi quæ ad primam classem pertinerent asscriptæve essent centuriarum numerus XCVI, quippe qui non hoc solo loco nitatur, sed statim iisdem litteris recurrat: *Illarum autem sex et nonaginta centuriarum etc.* Jam cum de ipsis classibus consentiente Livio et Dionysio, deque iis centuriis, quæ illis continerentur, certa res esse videatur; secundam, tertiam, quartam classem vicenos, quintam triginta, ultimam denique unam continuisse centuriam, his numeris deductis reliquæ sunt e Ciceronis verbis quinque centuriæ classibus quinque extremis asscriptæ. Atqui de his et de ultima classe dixisse videtur; cum his verbis fragmentum quo hæc leguntur desinat: *Quin etiam accensis, velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis* * * *. Proletarios pertinuisse ad classem extremam, Dionysius docet VII, 59. p. 1451: *Οἱ δ' ἀπορώτατοι τῶν πολιτῶν, οὐκ ἐλάττους τῶν ἄλλων ἁπάντων ὄντες* (?), *ἔσχατοι τὴν ψῆφον ἀνελάμβανον, ἕνα μόνον ἔχοντες λόχον. οὗτοι στρατειῶν τ' ἦσαν ἐλεύθεροι τῶν ἐκ καταλόγου, καὶ εἰςφορῶν τῶν κατὰ τιμήματα γινομένων ἀτελεῖς.* Similiter idem IV, 18, p. 681: *Τοὺς δὲ λοιποὺς πολίτας, οἷ τίμησιν εἶχον ἐλάττονα δώδεκα καὶ ἡμίσους μνῶν — πάσης εἰςφορᾶς ἐποίησεν ἀτελεῖς.* Eadem enim ratione proletarios Cicero describit iis verbis, quæ excipiunt supra transscripta: *In quo etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens: qui cum locupletes assiduos appellasset ab ære dando, eos, qui aut non plus mille quingentum æris, aut omnino nihil in suum censum præter caput attulissent, proletarios nominavit, ut ex iis quasi proles,* [*i. e. quasi progenies*] (hæc spuria iudico) *civitatis ex-*

spectari videretur: ex quo loco et illud apparet, non diversos Ciceronem habuisse *proletarios* et *capite censos*, atque Gellii locum XVI, 10. nihil aliud docere, nisi proletariis comprehensos esse capite censos, atque hos omnium fuisse infimos, minore quam CCCLXXX æris censu. Et Nonius p. 1284: *Proletarii cives dicebantur, qui in plebe tenuissima erant, et non amplius quam mille et quingentos æris in censum deferebant.* Cf. Gellium l. l. iisdem fere verbis usum, et Nonium p. 1253, qui locus etiam ad reliqua ista Ciceronis verba facit illustranda, allato Varronis loco de vita pop. Rom. lib. I: *Quibus erant pecuniæ satis locupletis, assiduos, contrarius* (leg. *contrarios*) *proletarios. assiduo neminem vindicem voluerunt locupleti.* Quæ nescio an sanentur, si pro *neminem* legatur *enim*, collata XII tabularum lege apud Gellium XVI, 10. — Adde Festum s. v. *assiduus*. Sed ad rem revertamur. Proletarios vere ad classes pertinere, apertum. Reliqui sunt accensi, velati, liticines, cornicines, quatuor centurias effecturi, quarum tres etiam habet Livius. Sed accensos a velatis nihil differre Festus docet s. v. *Adscriptitii* p. 1129: *Hos et accensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti: quidam velatos, quia vestiti inermes sequerentur exercitum etc.* Quare aut iungenda esse hæc nomina, aut, quod placet, delendum esse *accensorum* vocabulum, quippe interpretandi caussa rariori *velatorum* nomini asscriptum, videtur. Tres igitur istas iam Livii centurias habebimus, quas egregie Niebuhrius suspicatur censum habuisse infra duodecies mille quingentum usque ad mille

quingentum æris. *) His adde illam, quam quintam putavit Niebuhrius (p. 19.); *Niquisscivit*, **) et una iam deest. Hanc fuisse alteram *fabrum* arbitror. Nam cum duas fuisse Livius et Dionysius consentiant, vix credo eos errasse, præsertim cum ea re haud exigua difficultas tollatur. Nam cum plura essent fabrum genera, tignariorum, ferrariorum, sim., utrumque illud genus Dionysius secundæ classi attribuit, primæ Livius. At *tignarios* primæ esse additos, Cicero auctor est; *ferrarios* secundæ esse asscriptos arbitror. ***) Similis ratio videri potest esse in reliquis: nam *accensos* additos esse tertiæ, *cornicines* quartæ, *tibicines* (ad quos tubicines Dionysii, Ciceronisque liticines pertinere videntur) quintæ, centuriam denique *Niquisscivit* ultimæ classi, probabile cui videri possit. Sed placet tamen quintæ universas asscribere. Habes igitur

*) Testatur hanc rem imprimis fragm. iuris Rom. Anteiust. a Maio ed. §. 138., ex quo accensos ultimæ classis censum habuisse apparet; nam pro *censorum* eo loco legendum esse *accensorum*, certum.

**) Neque tamen hoc loco addidisse eam Ciceronem credere est necessarium, cum frequentissima sint omissi eadem ratione orationis vinculi exempla; sed postea eius fecit mentionem.

***) At plures fuisse quam duas fabrum centurias, quam sententiam amicum quendam in paucis doctissimum fovere comperi, et veterum testimoniis adversatur, neque *fabri tignarii* quos ille Ciceronem secutus addidit, diversi sunt ab istis, quos bellicis usibus Liv. atque Dion. assignant, sed eos imprimis continent, qui in turribus aliisque machinis bellicis fabricandis versabantur, ut alia taceam priori ætati magis etiam accommodata. Neque enim alios quam fabros militares primæ classi esse ascriptos credere licet, quoniam universa illa classium distributio rem militarem spectabat.

sex et nonaginta illas, quarum Cicero meminit, centurias. — Jam vero non pauciores fuisse *primae* classis et quae ei additae fuerint centurias, quam *septem* et nonaginta, inde sequitur, quod his ipsis *confectam esse vim populi universam* supra affirmavit, adeo, ut reliquae his consentientibus nihil potuerint efficere. Neutiquam igitur *septuaginta* centuriis prima classis poterat constare, quoniam addendis additis non plures ita quam LXXXIX, efficerentur, ita, ut pauciores essent reliquarum classium centuriis, quas contineri XCVI. illis centuriis Niebuhrius demonstravit, quamvis accurate locum legenti demonstratione res egere non videatur. Jam vero et re ipsa et reliquarum centuriarum ratione, et Livii Dionysiique consensu verisimile est, singulas classes cum centuriarum numerum comprehendisse, qui numero denario posset dividi atque resolvi. Quare consentire Ciceronem de primae quoque classis centuriis cum utroque illo scriptore existimo, *octuaginta* fuisse centurias. Et nihil iam est de quo discordent, nisi asscriptitiae illae centuriae. Quae et ipsa dissensio inde orta esse videtur, quod aut a maioribus acceperant, ipsas classes totidem semper centurias continuisse quot tum continerent, asscriptorum vero rationem interdum esse mutatam, aut quod in annalibus centuriarum per totas classes numerum exhibitum legebant, additos vero esse fabros, accensos, cornicines, et tibicines, non addito centuriarum numero, adeo, ut vel ex sui temporis more, vel ex coniectura, numerum istum definirent. Et Cicero quidem et Livius suae aetatis morem aliquatenus secuti, tamen ex antiqui temporis memoria centuriam illam *Niquisscivit* ille,

et *proletarios* ni fallor uterque addiderunt. Cicero præterea, Polybio, credo, auctore, fabrum centurias ita divisit, ut primæ classi alteram, alteram secundæ tribueret. Dionysius autem, qui ignoraret Niquisscivit centuriam, et, iusta sane ratione ductus *), parem centuriarum numerum non toleraret, accensos omisisse videtur. Etenim centuria illa Niquisscivit abolita esse videtur, ex quo non centuriatim amplius centuriæ suffragia ferebant, sed ipsæ tribubus comprehensæ tributim; et proletarios quoque Gellii certe ætate non iam exstitisse, ipse docet loco supra laudato, et nescio an non errem, si libera iam republica abolitos fuisse arbitrer: adeo, ut postea aut CXCIV, aut CXCIII, Servii vero ætate CXCV centurias fuisse credam. Postea enim par centuriarum numerus an impar esset, nihil referebat (v. i.). Gellii verba hæc sunt: *Sed enim cum proletarii, et assidui, et sanates, et vades, et subvades, et viginti quinque asses, et taliones, furtorumque quæstio cum lance et licio evanuerint; omnisque XII tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus centumviralium caussarum, lege Aebutia lata consopita sit, etc.* — Sed unum antequam Ciceronis locum relinquam restat, vindicare eum a crimine, in quod apud Niebuhrium, cui tantum nobis ipse debet, incidit. Pergit enim his verbis: *Illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures censebantur, quam pæne in prima classe tota.* Erroris eum arguit vir egregius,

*) Iustam esse cum omnes, ni fallor, consentiant, unum nomino huius rei auctorem omnium locupletissimum, Sigonium. l. l. I, 4.

quod credi non possit, primæ classis centurias a secundæ centuriis, singulas a singulis multum esse civium numero superatas. At non hoc voluit Cicero. Tum enim dicendum fuisset: *in singulis centuriis tum quidem etc.* Fuisse autem centurias, vel certe centuriam, in qua plures, quam in universa classe prima censerentur, omnes consentiunt, neque ipsum virum illum præstantissimum negaturum arbitror.

Cicero eo loco, quem modo explicare sumus conati, statim ab initio per universas quinque classes seniores a iunioribus esse divisos docuit, equites et exremam classem, quam excludi supra monui, non esse divisos, eo ipso probavit, quod a divisis eos separavit. Namque: *equitum*, inquit, *magno numero — separato, r e l i q u u m populum distribuit in q u i n q u e classes, senioresque a iunioribus divisit.* Fabros, accensos, liticines et cornicines an divisos voluerit necne, incertum. Dionysius, qui in reliquis assentitur, hos quoque præter accensos, quos ignorat, dividit; Livius vero quatuor tantum priorum classium centurias in iuniorum seniorumque ita distribuit, ut iuniores foras militiam obirent, seniores domi rem gererent urbemque tuerentur. Reliquas tacet; sed in accensis, tibicinibus, cornicinibusque, adversæ sententiæ apertus esse videtur. Nam cum tres eorum centurias habeat, singulasque aperte singula ex illis hominum generibus continentes, credi non potest, tibicines, ut his utar, non nisi iuniores, cornicines non nisi seniores fuisse. Quare satius videtur statuere, eas centurias, quæ ex caussis quæstibusque sint institutæ, ut equitum et eorum, quos modo dixi, non esse divisas, sed vel

omnium ætatum præter senium homines continuisse, vel, si ratio ferret, unius alteriusve ætatis universos fuisse. Sic equites non nisi iuvenes fuisse, infra docebo proximo capite. Eandem accensorum fuisse rationem ob vitam atque munus est probabile, reliquos omnem ætatem habuisse arbitror. — Aetatem vero iuniorum esse inter annum XVII et XLVI, seniorum inter hunc et sexagesimum nemini ignoratur. Qui sexagesimum ætatis annum excesserant, ut ad rempublicam militiamque capessendam non adigebantur, ita suffragiis quoque arcebantur, unde *depontani* dicti sunt. Varro de vita pop. Rom. II. apud Nonium d. 1423. *Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbio quidam putant venisse, ut diceretur: Sexagenarios de ponte deiici oportere, quod suffragium non ferebant, quod per pontem ferebant.* Festus s. v. *Sexagenarii* (quam inscriptionem ut alia multa Scaligerus inseruit; sed hæc a Festo) p. 1211. *Sunt qui dicant, post urbem a Gallis liberatam ob inopiam cibatus coeptos sexaginta annorum homines iaci in Tiberim, ex quo numero unus filii pietate occultatus sæpe profuerit patriæ consilio sub persona filii. Velut* (leg. c. Scal.: *Id ut*) *sit cognitum, ei iuveni esse ignotum, et sexagenarios ultra* (Scal. recte: *sexagenariis vita*) *concessa, latebras autem eius, quibus arguerit* (leg. *arcuerit*) *seniem, i. e. cohibuerit et celaverit, sanctitate dignas esse visas, ideoque arca ea appellata. Sed exploratissimum illud est caussæ, quo tempore primum per pontem coepere comitia* (Scal. *comitiis*) *suffragium ferre, iuniores conclamavere, ut de*

ponte deiicerentur sexagenarii, qui iam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi quam illi deligerent in patrum (leg. c. Scal. *imperatorem*). Cf. eund. s. v. *depontani* p. 1147. De stipendiis intra annum aetatis XLVI conficiendis, deque iuniorum seniorumque discrimine a Servio instituto praeter Polybium VI, 17, aliosque sic agit Gellius X, 18: *C. Tubero historiarum prima scripsit, Servium Tullium regem populi Romani, cum illas quinque classes iuniorum* (si codices addicant, addam *seniorumque* sed v. infra) *census faciendi gratia institueret, pueros esse existimasse qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno septimo decimo, quod idoneos iam esse reipublicae arbitraretur, milites scripsisse: eosque ad annum quadragesimum sextum iuniores, supraque eum annum seniores appellasse.* Postea iuventas quinquagesimo demum aetatis anno finita esse videtur; etenim a Seneca de brev. vitae c. 20. eum annum militiae postea finem imposuisse discimus: *Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat.* Haec igitur iuniorum seniorumque divisio ob militiam rerumque publicarum administrationem est instituta, eodemque universa centuriarum ratio pertinebat. Triplex enim harum rerum omnium erat consilium. Utraque enim populi quam iam exposui descriptio et ad tributa ex aequo et bono atque facilius exigenda, et ad militiam rite ordinandam pertinuit, id quod ex iis quos antea attuli locis abunde apparet. Delectus autem rationem Polybii locus VI, 17. sqq., comparatus cum Livii Dionysiique locis de classium distributione illustrat. Efficitur enim, ut tribu-

tim sub armis universus populus convenerit; mox primi electi sint tribuni; ab his deinde singulæ tribus sorte ipsis attributæ sint vocatæ, deinde ex censu delectus ita sit habitus, ut ex quaternis civibus eiusdem census, ætatis et staturæ mutato ordine singularum legionum tribuni singulos suæ legioni addicerent. Ex quo non illud tantum intelligitur, singularum tribuum ordinem ex classium atque ætatis ratione esse constitutum, quoniam quidem e singulis tribubus ordo militiæ servabatur, ita, ut primi equites, deinde pedites ex dignitate et ætate, tandem velites eligerentur; sed illud quoque colligitur, non plebem tantum, sed universum populum tribubus fuisse comprehensum, id quod pluribus exemplis infra docere conabor. Militiæ genera ex classibus esse instituta antea monui; ultimæ classis cives militia prorsus initio erant liberi; sapienti sane instituto, quoniam eos, qui pro aris et focis contenderent, fortunarumque magnarum hostibus ingruentibus facerent periculum, fortius rem esse gesturos quam eos, qui sive hostium esset terra sive Romanorum, æque essent miseri atque inopes, satis constare videbatur. Postea navali militiæ sunt adscripti. Sed hæc, cum a præcipuo huius scriptionis consilio longius nos abducere videantur, omittam. Plura qui velit, Niebuhrium adeat, Wachsmuthum alios, quamvis in quibusdam ab iis dissentiam. — Sed centuriarum atque classium instituendarum aliud etiam præter hæc fuit consilium, de quo in tribubus mutandis nondum cogitasse Servius videtur. Nam cum sola ad eum usque diem comitia fuissent curiata, novum iam comitiorum genus originem debuit centuriis, quod ab ipso Servio

iam esse institutum nihil est ut dubitemus, testante rem ipso Livio, Dionysio, omnibus. De rebus hisce comitiis commissis nihil iam addam, quoniam nimis incertum esse videtur, quidnam ex iis, quæ postea iis agitata sint, ab ipso centuriarum auctore iis sit attributum, iudicare. Nec postea quidem nisi paucissimis verbis quæ ad ea comitia libera republica pertinuerint afferam, cum nemini ea ignota esse videantur, nec nisi ea, quorum mentio ad rem illustrandam necessario pertineat. Pauca etiam sunt admodum et ob fontium penuriam et ob temporis obscuritatem quæ de ratione qua habita sint eo tempore *comitia centuriata* afferre licet. Hoc autem certum est, singulas centurias in suffragia esse missas ex classium ordine; utri sententiæ plures centuriales quam alteri nomina dederint, eam pro totius centuriæ suffragio esse habitam; ciusmodi deinde totarum centuriarum suffragia esse numerata, et ubi plus dimidia parte centuriarum consenserint, comitia esse finita. Hæc inde efficiuntur, quod apud omnes (Cic. de Rep. II, p. 54. Liv. I, 43. Dion. VII, 59 alibi) non nisi centuriæ numerantur, quarum maiore numero vim totius populi universam contineri consentiunt. Ordinem suffragiorum ita describit Livius (l. l.), ut primi equites, deinde ex ordine classes suffragia tulerint; sed nunquam fere infra classem secundam esse descensum addit. Eadem Dionysius docet IV, 20. p. 686. sqq., nisi quod equitum centurias a prima classe non separat. Suffragia voce esse lata, quod legibus demum tabellariis eam rem esse mutatam infra videbimus, certum est. Sed eam ipsam ob caussam suffragia scripto notari oportebat. Huc igitur Horatianum illud

(A. P. 343.) pertinet: *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci*, et alia innumera, quæ immerito plerique ad posteriora quoque tempora retulere, quibus tabellis suffragia ferebantur: tum enim nihil nisi ipsum eius instituti nomen reliquum fuisse arbitror. Nam cum is qui habebat comitia magistratus antequam in suffragia iretur proponeret consultationis argumentum, ita rem utique proposuit, ut aut negando aut affirmando; aut probando aut improbando suffragia ferrentur. Quare prisco quoque ævo non opus erat verbis singulorum sententias perscribere, sed scripto in tabula rei agitandæ argumento puncta tantum addebantur, quibus postea numeratis facile totius centuriæ suffragium efficiebatur. Sed cum non parvi esset laboris tot sententias vel puncto etiam notandas stilo excipere, nescio an huic iam tempori custodes tribuam, qui singulis singuli centuriis præfecti suffragia colligerent et ad magistratum deferrent. Quorum de munere, aliisque quæ ad eos pertinent, pluribus infra agemus. — Pontes nondum exstitisse ex Festi loco supra allato (s. v. *sexagenarius*) apparet. Habebantur comitia illa non ut curiata in foro, sed quoniam armatus conveniebat populus, neque exercitum intra urbem cerni fas erat, in campo Martio, quam rem præter alios Lælius Felix testatur apud Gellium XV, 27. — Per comitiorum tempus cum vacua urbs esset relicta, initio pars aliqua populi in Janiculo excubias agebat, ne hostis capta apportunitate in urbem irrumperet.

Atque hæc sunt quæ de tribuum centuriarumque Servio rege ratione memoriæ sunt prodita memoria digna ni fallor omnia. Quamvis enim fieri

possit, ut hoc vel illud oculos fugerit, tamen magni hoc esse ad rem nostram illustrandam momenti dubitaverim. Quare non diutius lectorem moraturi, sed ad ea tempora, quibus post reges expulsos libera Roma utebatur republica transituri, unam tamen appendicis loco quæstionem attingamus, quæ non ad Servium tantum, sed ad universam regum ætatem pertinet, num recte habeat Niebuhrii sententia de iis, qui antiquissimo tempore ad curias, tribus, classes, atque equites pertinuerint. Qua in re ea ne repetam, quæ summa et doctrina et sagacitate Wachsmuthus exposuit, sed alia quædam addam, quæ cum illis, si operæ pretium visum fuerit, coniungantur. Speciosa enim sane maxime atque sagacissima Niebuhrii est sententia, quam de curiis atque tribubus prodidit in egregio opere de historia Romana passim. Sed quantumvis probabilis ea esse videatur, vereor tamen vehementer, ut accurate omnibus consideratis universa probetur, quamvis certum habeam, et nova plurima et multa vere ab eo et hac in re esse proposita. Hæc autem, si recte eum intellexi, sunt præcipue, in quibus eius opinio vertitur:

1. Olim sub primis regibus Romæ tres equitum centuriæ cum clientibus universum continebant populum;

2. Luceres sunt sacerdotes, eaque centuria, quæ prima patriciorum nomine appellata, senatores præbuit reipublicæ. Huic mox Ramnes additi, i. e. milites, tandem Tarquinio Prisco rege Tities, i. e. tertius ordo;

3. Plebs, a Tulli Hostilii demum ætate orta,

ex aliarum civitatium a Romanis victarum civibus, vel Romam deductis, vel domi relictis constabat;

4. Patricii agro publicó utebantur sine tributo, clientibusque utendum dabant; plebi vero agros privatos assignabant, tributumque imponebant;

5. Tres tribus antiquæ triginta curias continebant, e quibus plebs erat exclusa; clientes vero ad eas pertinebant;

6. Ideo Servius triginta instituit tribus nova ratione conditas, quæ solos plebeios continerent;

7. Clientes ad curias, non vero ad tribus plebeias pertinebant;

8. In centuriis classibusque Servianis superioribus plebes censebatur; patricii equitum centuriis, clientes infima classe continebantur.

Hæc ni fallor sunt fere quæ egregia cum sagacitate atque doctrina Niebuhrius comprobare studuit, ita, ut qui prius eius librum quam ipsos fontes legat, eum vix credam posse quin ei assentiatur. Verumtamen inesse arbitror, quæ vel nimis audacter esse coniecta, vel refelli re ipsa atque antiquæ historiæ monumentis videantur. Quibus in rebus retegendis ea omissurum me, quæ Wachsmuthus monuerit, antea dixi. — De universis unum moneam, longe aliam esse in omnibus Romanorum veterum quam Græcorum, nedum orientis populorum indolem, ideoque incertum esse atque anceps quam maxime horum mores atque instituta ad Romanos transferre, ita, ut, ni aperta sint in ipsis rebus Romanorum indicia, non liceat ex istis Romanos iudicare. Negari quidem non potest, ipsos Romanos interdum de suis rebus errasse, temporum permutatione inductos; sed nos tamen, nisi quidem

inepta prorsus atque ea tradiderint, quæ sibi ipsa repugnent, non possumus aliunde quam ex ipsorum scriptis res Romanas iudicare.

1. Et de primo quidem, a quo Niebuhrii sententiam adumbrare exorsus sum, parum verisimilis res est, ab initio Romæ non nisi nobiles atque servos quosdam vel libertinos fuisse. Quamvis enim statuas, Romam fuisse coloniam rite deductam, sive Alba, sive ex Etruria, recte tamen Wachsmuthus observavit, prorsus reiici quod fama ferebat asylum non posse, inter eos autem qui confluxerint fieri non posse, quin singuli interdum fuerint nemini addicti, neque etiam ipsa civitate in servitutem redacti. Sed aperta etiam veterum asservantur testimonia, quæ sine gravissimis rationibus falsa iudicare audacissimum foret. Sic Livius I, 17. a *plebe* *) docet patres esse coactos ad regem creandum; nec intelligi sane potest, quosnam interregni tempore rexerint illi nisi plebem; nam in clientes glebæ quodammodo asscriptos quale foret regnum? **) Contra apparet Livium patricios et senatores eorumve posteros eosdem habuisse. Qui vero poterat nisi antiquis testimoniis, certe fama, ductus, cum ipsius ætate longe utrique essent diversi? Nec Livii errori

*) Eandem Ciceronem voluisse de Rep. II, p. 47, cum scriberet: *Populus id (interregnum) non tulit, desiderioque Romuli postea regem flagitare non destitit*, certum esse videtur, cum clientium, rex imperium teneret an patroni, nihil interesset. Cf. Zonaras II. p. 9. ed. Wolf.

**) Si iustum illud vel ipsi patricii habuissent regnum, sane non tanto labore plebem retinere studuissent postea, cum montem sacrum petisset, posteaque Veios petitura videretur.

rem esse tribuendam, apertum Ciceronis testimonium (de Rep. II, p. 47.) ostendit: *Cum ille Romuli senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominari, patriciosque eorum liberos etc.* — Idem locus dubitationem tollit Wachsmutho p. 185. ex Suetonii loco Oct. 1. 2. exortam.

2. Tribuum antiquarum nomina Etruscæ esse originis Volumnio ap. Varr. de L. L. p. 1062. Niebuhrius credit, quo sacerdotes, milites, et tertios nescio quos eruat. Sed primum quis nescit, quantum ineptiarum non tam Romani, quam grammatici Romani protulerint, cum quamcunque similitudinem secuti vocabula Romana vel ad Græcam, vel ad alius cuiuscunque linguæ originem referrent, nunc ut doctrinam ostentarent, nunc ut, si peregrini ipsi essent, suæ genti gloriolam quærerent? Quare pusillum Volumnii testimonio ad rem probandam argumentum inesse arbitror, præsertim cum facillima nominum altera illa sit notatio. Deinde si Luceres fuerint sacerdotes, soliqne rerum divinarum compotes, qui credis militibus atque tertiis illis earum procurationem eos commissuros fuisse, quos tamen rem divinam atque auspicia habuisse certum est, cum eo ipso patricii a plebeiis discernantur. Liv. VI, 41.

3. Plebem exstitisse Niebuhrius arbitratur primum Albæ Longæ, mox aliarum civitatium civibus Romam deductis. Sed ex ipsis Albanis alii sunt inter patres, alii inter equites, diversos igitur ab illis, recepti a Tullo, legiones *veteres* (patriciorum igitur si diis placet, an centuriarum equitum? Nam clientibus arma, nescio an iure, Niebuhrius ade-

mit) suppletae, novae additae Liv. I, 30. Immo plebi peregrini opponuntur Liv. IV, 3: *Ex peregrino ne patricius, deinde consul fiat? civis Romanus si sit ex plebe, praecisa consulatus spes erit?* Ipsi patricii Liv. IV, 4. ita increpantur: *Quid, si hoc polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis et Sabinis non genere nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos iussu populi,* etc. Quae illud quoque docent, recte eo ipso patriciorum nomen esse acquisitum statui, quod in senatum sint lecti. Cf. Ciceronis locum modo laudatum.

4. Quod quarto loco posui, in uno Livii loco nititur IV, 48: *Cum rogationem promulgassent* (tribuni), *ut ager ex hostibus captus viritim divideretur, magnaeque partis nobilium eo plebiscito publicarentur fortunae (nec enim ferme quicquam agri, ut in urbe alieno solo posita, non armis partum erat; nec quod venisset assignatumve publice esset praeterquam plebs habebat); atrox plebi patribusque propositum videbatur certamen.* Plebs igitur agros poposcit, quos ut acciperent, magnae partis nobilium publicarentur fortunae necesse erat. Haec aperta. Sequentibus eius rei ratio redditur, quae quomodo habeat, statim videbimus. Nobiles h. l. eosdem esse, qui patricii, saepeque apud Livium patres, audiant, nemo, credo, dubitabit, qui verba illa: *atrox plebi patribusque prop. vid. certamen*, considerarit. Ergo hoc expetebant, ut patriciorum agri pars publicaretur, ipsisque distribueretur. Sequitur igitur, patricios tenuisse agrum hostibus ereptum, quem plebes appetebat, eaque res probabilis est maxime, quoniam neque libentes

plebi patres dono eum dedissent, neque quo emerent plebeii tantum, non omnes habebant. Hæc sensit Wachsmuthus, quem, cum quæ statim leguntur prorsus contrariæ sententiæ faveant, Taciti locum I, 26. in auxilium vocare memini, quo sequentia ita exponeret, ut verbum *præterquam* referret ad ea quæ præcedunt, quasi scripsisset Livius: *nec præterquam quod venisset assignatumve publice esset, plebs habebat* (cf. eius H. R. p. 235. sq.). Et sane ni alia suppeteret ratio, ultimum in hac explicatione refugium esset quærendum; sed gravissima tamen sunt quæ adversantur. Primum enim disiecta atque transposita verba *præterquam quod* et similia adeo a Latinæ orationis usu abhorrent, ut Taciti adeo locum Lipsius iam emendarit, cum pro: *Nunquamne nisi ad se filios familiarum venturos* legeret: *Nunquamne ad se nisi filios familiarum venturos*. Deinde, etiamsi apud Tacitum veram esse lectionem concedamus, nihil tamen ea res in Livio explicando profuerit, cuius neutiquam eadem est quæ Taciti scribendi licentia. Porro *agrum ex hostibus captum* non esse universum agrum Romanum, ut quidam credidere, sed agrum Lavicanis ante biennium ereptum et coloniis ex parte tributum, non solum ipsa illa verba docent, quæ referenda necessario sunt ad ea quæ præcedunt (cf. simillima c. 51.), sed ista quoque: *in urbe alieno solo posita*, cum urbis vocabulum æque ad oppida, atque ad Romam referri possit, qua de re si quis dubitet præter alios locos innumeros Livium conferat ipsum IV, 59. Præterea si ita intelligi Livius voluisset, ut Wachsmuthus intellexit, procul dubio scripsisset: *et exiguam illam agri partem, quæ vé-*

nisset, etc., plebs habebat. Denique, quod gravissimum est, ipsa loci sententia repugnat. Nam ubi agros poscunt plebeii, quid tandem aliud volunt, quam sibi eos assignari? At illam explicationem si receperimus, alia exposcent, quam et vendita et assignata, quæ qualia esse censeas, fateor me non intelligere. Ex his certum esse arbitror, corruptum esse Livii locum, nec transposito quidem vocabulo *præterquam* sanari. Neque profecto codicum Mss. fides obstat, cum varie illi locum exhibeant. Alii enim pro *plebs* habent *plebis*, alii *plebes*; Lipsiensis pro *habebat* legit *habebant*, ut alios taceam. His vestigiis ductus legendum censeo: *Nec quod venisset assignatumve publice esset præterquam patres habebant.* Qua in re nolite me temerarium habere, qui mutata lectione contrarium prorsus sensum eruam. Fateor enim audacem videri posse emendationem; sed revera facilem esse arbitror. Nam cum utriusque vocabuli, *plebes* et *patres* simillima sit nota, PLES et PES, facillime ab imperito librario permutari potuisse hæc nomina videntur; *habebant* autem in codicis Ms. lectione nititur. Denique sententiam omnino postulare hanc mutationem supra docui. Ergo is quoque locus Niebuhrium nihil iuvabit, sed patres, qui tantillum laboris in agro bello capiendo ceperant, quippe numero plebeiis longe inferiores, nihilominus captum occupaverant, vel assignatum ab ipsis, vel emtum; plebeii contra, quorum virtute illum ceperant, quique, si paucos colonos, qui eo ipso cives esse desierant, excipias, nihil acceperant, sibi eum dividi voluerunt. Quamvis huic loco in mea sententia defendenda ne nimium tribuam, ne studio duci videar. Sed alii sunt

loci prorsus Niebuhrii sententiæ adversi. Liv. VI, 36—39., ubi Sextii Liciniique orationes suos patribus agros tribuunt; Cic. de Rep. II, p. 48., quem locum Nonius quoque s. v. *viritim* p. 1244. attulit, de Numa hæc habet: *Ac primum* (ap. Non. nescio an rectius: *primus*) *agros, quos bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus etc.* Non igitur plebi, sed patriciis, si vere Niebuhrius plebem tunc non exstitisse statuit, agros assignavit. Similia de Numa Dion. II, 76. p. 400. habet, qui II, 7. p. 251. a Romulo curiatim divisum esse agrum docet. Militibus a Romulo divisum esse agrum auctor est Plutarchus Rom. 27. Similia alia possunt addi; sed hæc sufficiant.

5. Plebeios e curiis non fuisse exclusos et superiora docent, et duo Livii loci, quibus errare eum temerarium foret iudicare: I, 35: *Orationem dicitur habuisse* (Tarquinius Priscus) *ad conciliandos plebis animos compositam.* Habita autem in comitiis regi creando, i. e. curiatis; nec male, sive pro populo universo, sive pro clientibus, sive pro patriciis, plebem nominasse Livius putandus est, quoniam ipso Niebuhrio fatente a Tulli inde ætate Romæ fuerunt plebeii. Idem I, 43: *Non,* inquit, *ut ab Romulo traditum ceteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi eodemque iure promiscue omnibus datum est, sed gradus facti.* Atqui ad Servii usque ætatem non fuere comitia nisi curiata. Quorum igitur illud fuit proprium, quod universi cives viritim suffragia ferebant. Immo illud ipsum, quod Niebuhrius proposuit, sibi repugnat, cum dicat equitum centurias fuisse comprehensas curiis, plebeios exclusos. Equitum enim

centurias eosdem habet atque patricios. Atqui equites non solum a patriciis Livius distinguit loco supra laud. I, 30., idemque a principibus civitatis XLIII, 18: *cum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, — — extemplo principes civitatis* (diversi igitur ab illis) — — *vestem mutarunt*; sed e Polybio VI, 18, quem ipse Niebuhrius locupletissimum antiqui moris testem iudicat, et Livio I, 43. supra docuimus, neutiquam equites illos antiquissimos tanto honore esse usos, quanto postea sunt usi, neque igitur principes civitatis fuisse, neque honoris caussa, sed ob indigentiam a Tarquinio inde ad equum emendum atque alendum pecuniam accepisse, lectos eosdem usque ad Servii ætatem *post* pedites. Servium primum honorem iis addidisse, adiectis duodecim equitum centuriis e primoribus civitatis *ante* peditum delectum selectis. Quæ res omnem Niebuhrii, ni vehementer fallor, sententiam evertit, quam nescio an ipse retractarit, cum in libello nuper edito de centuriis p. 15. inferiora fuisse sex suffragia reliquis duodecim centuriis suspicetur.

6. Ad tribus solos plebeios, non vero patricios eorumque clientes pertinuisse, inde imprimis efficit, quod recte Livius a *tributo* eas dictas esse censeat, patricii vero atque eorum clientes tributo fuerint immunes. Sed cum a Servii inde ætate ex censu tributa sint soluta, patricios quoque solvisse necesse est, quamvis ex antiquissimo tempore aperta ni fallor testimonia desint. Sed secundo bello Punico eos quoque ad tributa contulisse, et plus etiam quam reliquos, Livius docet XXIV, 11.,

quem locum supra apposui *). Alterum vero quod pro caussa affert, illud est, quod Livius II, 56: *Rogationem*, inquit, *tulit ad populum* (Volero tr. pl., anno CCLXXXII.), *ut plebeii magistratus tributis comitiis fierent. Haud parva res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur; sed quae patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos auferret.* Inde enim efficit, clientes tributis comitiis non tulisse suffragia. Vero enim vero ad classes clientes pertinuisse censet, et, cum tributorum fuerint immunes, sextae classi fuisse ascriptos. Atqui ab anno inde CCLIX p. R. c., certe non diu postea, centurias per tribus, et has per classes esse distributas infra docebo longe esse verisimillimum, adeo, ut qui ad infimam centuriam pertinerent, tribu quoque infima continerentur. Hoc igitur fuit in caussa amissae clientium in creandis tribunis auctoritatis, quod comitiis tributis, antequam ipsi suffragia ferrent, iamdudum maior tribuum numerus de tribunis creandis convenerat. Ipsos patres quoque ad tribus pertinuisse praeter alios locos infra cap. seq. afferendos vel inde consequi videtur, quod eodem capite Laetorius tribunus non patricios iubet summoveri, sed eos, *qui suffragium non ineant*, i. e. inire nolint (cf. Wachsm. H. R. p. 333.). Patricii vero, ex quo tribuni plebis erant creati, interesse, si quid video, comitiis

*) Non ignoro equidem, extra ordinem hoc tributum esse imperatum: sed quis nescit, eadem lege universa tributa, sive suo tempore, sive extra ordinem imperata, esse coacta? Quare non magnitudo quidem tributorum, sed illud tamen ex eo loco efficitur, senatores quoque tributa solvisse.

tributis ad suffragia ferenda noluerunt, vel ne consensisse viderentur si quid contra voluntatem iis comitiis esset decretum, vel ob superbiam, sicut apud Liv. II, 64: *irata plebs interesse consularibus comitiis noluit.* Hanc veram esse caussam, quare patricii in tributis comitiis fere non commemorentur, Livius de eadem illa re loquens fine eius anni docet II, 60: *Annum exactum insignem maxime comitia tributa efficiunt: res maior victoria suscepti certaminis, quam usu; plus enim dignitatis comitiis ipsis detractum est patribus ex concilio summovendis, quam virium aut plebi additum est, aut demtum patribus.* Qui enim dignitas comitiorum ea re minui potuisset, ni antea suffragia una cum plebe patres tulissent? *) Tribunos autem antea

*) Hoc igitur ex locis illis efficimus, usque ad annum CCLXXXIII. potuisse patricios comitiis tributis suffragia ferre, sed multos noluisse, affuisse tantum, quo tribunorum consilia irrita redderent. Eo ipso autem anno summotos esse a tribunis qui suffragia ferre noluerint. Qui cum ad patriciorum ordinem pertinuerint, factum esse, ut in posterum omnes patricii eiecti sibi esse viderentur, neque iam ista comitia praesentia sua dignarentur. Eodem Flori locus pertinere videtur II, 6, quamvis in eo quoque Flori levitas cernatur. Nam cum patricii tributis comitiis essent eiecti, sola plebes ad tribus iam pertinere videbatur, adeo, ut quicunque plebeii esse desinerent, tribubus quoque iam non annumerarentur. Quo factum est, ut post Gracchi tempora equitum ordine instituto, is quoque a tribubus separaretur. Illud autem discrimen, quod postremo illo tempore exstitit, Florus pro levitate sua ad belli Punici secundi tempora transtulit his verbis: *opes suas libens: senatus in medium protulit. — Eques secutus exemplum, imitataeque equitem tribus.* — Gruteri thes. inscr. p. 244, 4. an ad rem nostram pertineat, nescire me fateor.

non centuriatis comitiis credo esse creatos, sed curiatis, in quibus cum e sacris atque nominibus suffragia ferrentur, eadem fuit clientium, quæ reliquorum auctoritas. Cui rei apertis verbis Dion. VI, 89. p. 1246. et Cic. fragm. Corn. post med. addicunt. Quomodo de centuriatis Niebuhrius potuerit cogitare, cum ipse clientibus extremam classem attribuerit, cui specie magis quam re vera suffragia erant concessa, non intelligo.

7. Clientes ad tribus pertinuisse, et iis docetur quæ modo attuli, et eo, quod Attæ Clausi clientes tribus Claudiæ partem maximam effecerunt. Liv. II, 16. Dion. V, 40. p. 936. sq. Quænam vero fuerit clientium cum reliqua plebe ratio, obscurum esse fateor. Hoc tamen persuasum habeo, eos plebeios fuisse clientes, qui vel ab initio urbis conditæ civitatisve acceptæ fuerint, vel sponte patronos sibi elegerint. Neque enim inde, quod interdum clientes a reliqua plebe separantur, sequitur, nihil utrosque ad alteros pertinuisse, sed illud tantum, clientes, quorum infima fuerit conditio, adeo, ut libertinis comparari posse videantur, patronorum, reliquos plebeios sua commoda debuisse spectare.

8. Classes atque centuriæ ad tributa et militiam spectabant. Jam vero patricios et tributa contulisse supra docuimus, et militasse nemini potest esse dubium qui vel de Tarquitio cogitet, quem, cum equo merere ob paupertatem non posset, peditem stipendia facere oportebat. Neque Liv. II, 24: *Patres militarent, patres arma caperent, ut penes eosdem pericula belli, penes quos præmia, essent*, contrarium demonstrat, quoniam irata loquitur plebes, et hoc tantum vult, suæ virtuti divitias

illorum deberi, quas soli patres ob exiguum iuventutis numerum et imbecillam senatorum ætatem tueri non possint. Quare hos ex censu per classes esse distributos certum est, sed ita, ut, cum plerique opibus valerent, tantum non omnes prima classe et duodecim equitum centuriis continerentur. Clientes ultima classe comprehensos esse videri, Niebuhrio assentior, quoniam verisimile est, eorum fortunas patronorum quasi esse habitas, cum alteri alteros opibus et quibuscunque rebus deberent iuvare, adeo, ut tributa quoque ab ipsis conferenda a patronis fortasse solverentur. Neque enim agrorum tantum similiumque magnitudinem census spectabat, sed universam rem familiarem. Alioquin enim postea, cum certus iugerum quem quis possideret numerus definiretur (Liv. VI, 35, sqq.) omnis classium atque centuriarum distributio esset dissoluta, quoniam nemo agrorum magnitudine primæ classis censum potuisset assequi. Cui rei aliud argumentum addo ex Liv. XXXIX, 44., quo loco mancipia in censum referuntur.

Atque hæc addidisse egregio Wachsmuthi Niebuhrianæ sententiæ examini sufficiat. Quæ si vel confirmare vel accuratius aliquanto quæ V. S. exposuit definire visa fuerint, quod optaram adeptus fuero. Jam vero ad ea nobis transeundum est, quæ, quamvis recentiora, altioribus tamen magna ex parte tenebris teneri ipsis illis temporibus, quæ descripsimus, antea monuimus. Quare satis felices nos habebimus, si non prorsus inutilem his temporibus operam navasse videamur.

Caput III.

De mutata post Servium populi divisione.

Servio interfecto Tarquinius Superbus non abolevisse quidem, sed neglexisse tamen illius instituta videtur, ita, ut memoria potius quam usu ea viguisse credam. Cf. Dion. IV, 43. p. 750. Sed post Tarquinios exactos, cum patres imperio essent potiti, neque tamen plebem prorsus a rebus publicis, nisi quidem reges vellent revocari, excludi posse intelligerent, restituisse illi, vel si placet in usum recepisse quæ Servius instituerat videntur. Attamen ita ea in re iam tum fuisse versatos arbitror, ut quam minimum plebi concederent, ipsi vero summam imperii retinerent. Porsenna proximo post reges expulsos anno urbe potitus in servitutem quandam universam Romanorum remp. redegisse videtur, qua de re supra egimus. Sed brevem illam fuisse recte Bellefortius est suspicatus (loco antea laud. p. 46. sqq.), cum Etrusci aliis, uti videtur, rebus occupati, bellis fortasse civilibus, res Romanas iam curare non possent, quæ res eo maxime probari videtur, quod Etrusci brevi post (anno CCLVIII.) et a Latinis et a Romanis auxilio vocati neutris opem tulerunt. Dion. V, 52. p. 995. Immo etiamsi eam rem nugis Dionysiacis annumeres, inde res certa est, quod statim ab anno inde CCXLIX. cum Sabinis, ab anno CCLIII. cum Latinis suo Marte Romani pugnarunt. Liv. II, 16. 18. Sed illud tamen ex clade atque deditione, immo ex ipso Tarquinii exsilio mansit, quod factum esse etiamsi testimonia deessent, nemo dubitaret. Latini

enim, qui sub regibus extremis cum Sabinorum parte si non imperio Romanorum paruerant, principatum tamen iis concesserant, debilitata re Romana, ipsi quoque a Tarquinio concitati, a Romanis defecerant. Non huius loci est narrare res Romanorum, et quomodo illi, quamvis deleta pæne iam republica, non vires tantum receperint ad urbem atque remp. servandam, sed universum terrarum orbem in eandem, quam ipsi olim perpessi aliquamdiu fuerant, servitutem redegerint. Sed quæ diximus eo attulimus, ut, quantæ eo tempore fuerint rei Romanæ angustiæ, quæque fuerit caussa patrum erga plebem facilitatis, denique immerito agri Romani tertiam partem tunc credi esse perditam, intelligeretur.

Ea ipsa autem de qua nos agimus res, populi inquam divisio a Tullio instituta, sequenti tempore varie est habita. Nam et crescente civium numero tribuum auctus est numerus, et mutata earum ratio, mutata curiarum, immo centuriarum quoque postea est ratio atque indoles, quæ singulatim omnia percensebimus. — In aucto tribuum numero describendo non opus est repetere civium quolibet censu repertorum numerum, cuius rei egregiam tabulam Bellefortius exhibuit (Vol. III. p. 83 sqq.), sed ea tantum, quæ sine rei nostræ damno prætermitti nequeunt afferamus. Prima post Servium aucti tribuum numeri memoria est additæ anno u. c. CCL. tribus Claudiæ veteris, quam paucis post annis (CCLIX.) XXI tribuum mentio excipit. (De utraque v. s.). Quænam fuerit tribus prima et vicesima, incertum. Aeque dubium est, quænam sit habenda undevicesima, et quando addita, etsi a Tar-

quinio Superbo eam esse adiectam si quis putaverit, non equidem repugnaverim. Nolumus nos actum agere, sed ea, quae ab aliis satis sunt exposita, brevissime attingamus. Consulendi autem de tribuum nominibus atque veterum de iis testimoniis praeter alios Panvinius (in Graev. thes. I.) et Bellefortius l. l. Vol. II d. 70. sqq. Additae igitur uni et viginti illis tribubus anno CCCLXVIII novae quatuor, anno CCCXCVII. duae, anno CCCCXXII. totidem, anno CCCCXXXVI. item duae, totidem anno CCCCLIII, tandem anno IↃXII duabus adiectis quinque et triginta tribuum numerus expletus est, *) quem ad extrema usque liberae reip. tempora, immo sub Imperatoribus quoque esse servatum, omnes consentiunt; sed aliquamdiu tamen libera rep. plures etiam exstitisse tribus, brevi abolitas, nemo, opinor, non credidit. Nec desunt sane aperta eius rei testimonia. Appianus enim de bellis civ. I. c. 49: *Ἰταλιωτῶν δὲ*, inquit, *τοὺς ἔτι ἐν τῇ συμμαχίᾳ παραμένοντας ἐψηφίσατο εἶναι πολίτας. — Ῥωμαῖοι μὲν δὴ τούςδε τοὺς νεοπολίτας οὐκ ἐς τὰς πέντε καὶ τριάκοντα φυλὰς αἳ τότε ἦσαν αὐτοῖς κατέλεξαν, ἵνα μὴ τῶν ἀρχαίων πλέονες ὄντες ἐν ταῖς χειροτονίαις ἐπικρατοῖεν· ἀλλὰ δεκατεύοντες ἀπέφηναν ἑτέρας, ἐν αἷς ἐχειροτόνουν ἔσχατοι. καὶ πολλάκις αὐτῶν ὁ ψῆφος ἀχρεῖος ἦν, ἅτε τῶν πέντε καὶ τριάκοντα προτέρων τε καλουμένων καὶ οὐσῶν ὑπὲρ ἥμισυ, ὅπερ — ὕστερον ἐπιγνωσθὲν ἑτέρας στάσεως ἦρξεν.* Nihilominus autem rem ita habuisse dubito. Nam

*) Ex his satis apparet, recte iam dudum ex codd. Mss. apud Livium VI, 5. pro *triginta quinque* legi *viginti quinque*, atque illum numerum, etiamsi librorum Mss. fide niteretur, tamen necessario esse eiiciendum.

bello sociali flagrante Romani eos, qui in fide manserant, civitate donarunt, sed ea, quæ videbatur magis æqua cum Romanis iura iis concedere, quam vere concedebat. Neque enim per universas tribus sunt distributi, sed suas effecerunt tribus, τοῦ μὴ τοῖς ἀρχαίοις ἀναμιμιγμένοι ἐπικρατεῖν ἐν ταῖς χειροτονίαις, πλέονες ὄντες (Jd. ib. c. 53.) Hæc certa sunt; neque solum Velleii etiam Paterculi testimonio (II, 20.) confirmantur, sed ad Romanorum agendi rationem prorsus conveniunt. Sed esse in quo uterque huius rei auctor, Appianus et Velleius, dissentiant, cuilibet apertum erit, qui accurate eos contulerit. Sic enim ille l. 1: *Itaque*, inquit, *cum ita civitas Italiæ data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum et multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est.* In quibus non eo tantum ab Appiano discrepat, quod alter decem, octo alter habet novorum civium tribus, sed in universorum quoque tribuum numero definiendo. Namque Cinnæ consilium effectu caruisse, ea satis aperte docent, quæ apud Velleium sequuntur, et apud Appianum l. I. c. 64: nec unquam post eum mutatam esse istam tribuum rationem, inde apparet, quod taceri ea res ob gravitatem non potuisset; immo similia Clodium molitum esse, sed non perfecisse, Cicero docet pro Mil. 32, ubi vid. Asconius. Atqui postea nunquam plures quam XXXV tribus commemorantur. (Cf. Cic. Phil. VI, 5. VII, 6. Agrar. II, 7. 12. Ascon. ad Cic. Verr. I, 5. Grut. thes inscript. p. 246, 8. Festus s. v. *centumviralia iudicia*,

alii.) Qua re certum est, Cinnæ ætate totidem fuisse, et Velleium hoc velle: extremas octo ex XXXV tribubus concessas esse sociis in civitatem receptis. Quibus speciem tantum suffragiorum fuisse, quoniam cum centuriæ tribubus continerentur, illarum ordo atque dignitas ad has transierit, ita, ut extremæ tribus, id quod supra exposuimus, raro in suffragia missæ sint. Idem vero etiam ipsa Velleii verba docent. Namque si eidem cui Appianus sententiæ favisset, pro verbis: *ut in octo tribus* et *in omnibus tribubus* dicendum fuisse: *ut in novas octo tribus* et *in omnibus XLIII tribubus*, vel *in omnibus XXXV tribubus veteribus*, recte vidit summus Ruhnkenius. Præterea vero non *contribuendi* vocabulo, opinor, sed *distribuendi* utendum necessario fuisset. *Contribuimus* enim in *partem* aliquam eius quod antea iam exstitit; *distribuimus* non in partem, sed per *totum*, sive illud antea iam exstiterit, sive nunc demum oriatur. Atqui *novas* octo tribus non esse partem earum, quæ antea exstiterant XXXV tribuum, sed totum quoddam illis additum, nemo negabit. Huc alia accedunt. Quis enim non videt, plane eandem esse huius loci rationem, quam Livii loci IX, 46: *Ap. Claudii censura vires nacta, qui — — humilibus per omnes tribus divisis forum et campum corrupit, — — — et Fabius, simul concordiæ caussa, simul ne humillimarum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit* etc. In quo loco tamen quis iam de aucto tribuum numero cogitet? — Certum igitur esse videtur, et Velleium de aucto sociorum civitate tribuum numero non cogitasse, et re ipsa doceri,

Cinnæ ætate non plures quam XXXV tribus exstitisse. Atqui idem Cinnam esse molitum, quod antea in breve tempus Sulpitius effecerat (Appian. l. I. c. 55. cf. Vell. II, 16. Liv. epit. 77.), neminem credo dubitaturum. Jam cum per quinque et triginta tribus, id quod Velleii verba antea laudata docent, Cinna novos cives voluerit distribuere, idem fecisse Sulpitium, et nunquam hoc maiorem fuisse tribuum numerum apparet. Huc adde primæ classis cives, nisi coactos ab infimis, neutiquam ipsos auctoritatem suam fuisse perdituros, concesso infimis classibus longe maiore quam quo ipsi utebantur suffragiorum numero. Quibus omnibus, etsi sufficere ea videantur ad rem comprobandam, unum addo, etiamsi alioquin res incerta posset esse, longe tamen locupletiorem videri Velleium Appiano rerum auctorem. Non enim solum a Græcorum quorundam in rebus Romanorum tractandis levitate non prorsus alienum esse Appianum, Velleium contra alienissimum, iam constat, sed, quod maius est, toto sæculo utriusque scriptoris ætas distat, adeo, ut Velleio vivente plurima liberæ reip. instituta vel valerent adhuc, vel recenti memoria tenerentur, Appiani vero ætate pleraque iam dudum essent abolita. Ex his omnibus colligere, ni fallor, licebit, XXXV tribuum numerum anno u. c. IↃXII. institutum per totam liberæ reip. ætatem, immo ab Imperatoribus quoque esse servatum *), nec unquam, etiamsi ratio tribuum rursus sit mutata, auctum.

*) Taciti locus Ann. I, 15., quo a Tiberio *comitia e campo ad patres translata* scribit, *cum ad eam diem quædam studiis tribuum facta sint*, et ad centuriata comitia per-

Livii verba supra laudata (I, 43.): *Neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere,* collata cum iis quæ antecedunt, aperte demonstrant, tribus quæ postea fuerint pertinuisse ad centuriarum distributionem atque numerum. Sed cum nemo veterum consulto neque quo tempore, neque quomodo tribus sint mutatæ descripserit, aliter nobis ea in re definienda est agendum, quam si ea describeremus, quæ apertis testimoniis niterentur. Neque enim rerum gestarum ordinem iam licet servare; sed primum inquirendum est, quomodo res habuerit extremis liberæ reip. temporibus, cum, quod neminem fugit, quamvis ad ipsam rem accurate exponendam eorum quidem, quorum opera servata sunt, nemo animum applicaverit, fieri tamen non possit, quin apud tot tamque varios eius ipsius ætatis scriptores vestigia eius qui tunc fuit rerum ordinis inveniantur. Deinde retrocedendum est, et diligenter animadvertendum, si quid apud eos, qui de antiquioribus egerunt temporibus, inveniatur, quod aut ad tempus, aut ad rationem mutatarum tribuum facere videatur. — His igitur vestigiis lectis invenimus, extrema liberæ reip. ætate centurias fuisse tribuum partes, i. e. tribus ita fuisse comparatas, ut cum census ratione congruerent. Namque apud optimum quemque scriptorem frequens est

tinet Tiberio regnante sublata, sed postea, ni omnia me fallunt restituta (cf. Suet. Cal. 16. Auson. grat. act. c. 13. al.), neque, etiamsi quis tributa comitia intelligeret, ipsas tribus esse una sublatas, testaretur. Certe has citeriore ætate extitisse et inscriptiones plures (e. g. Grut. p. 244, 4. 246, 8. al.) comprobant, et nomina tribus Flaviæ et Ulpiæ.

tribuum in comitiis centuriatis mentio, et ea quidem, ut suffragia tributim numerentur. ' Cicero de lege agr. II, 2: *Itaque me, non* *e x t r e m a* *t r i b u s* *s u f f r a g i o r u m*, *sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus Romanus* *c o n s u l e m* *declaravit*. Idem pro Plancio 20: *An tandem* *u n a* *c e n t u r i a* *p r æ r o g a t i v a* *tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit: tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum miraris, in quo non* *e x i g u a* *p a r s* *p o p u l i*, *sed universus populus voluntatem suam declararit, cuius in honore* *n o n* *u n i u s* *t r i b u s* *p a r s*, *sed comitia tota comitiis fuerint prærogata?* Quo in loco aperte verba *unius tribus pars* idem volunt, quod antea *exigua pars populi* et *centuria prærogativa*. Sed alia de hoc loco statim disputabimus. Idem Verr. V, 15. *Praeconis voce, qui te toties* *s e n i o r u m* *i u n i o r u m q u e* *c e n t u r i i s* *i l l o* *h o n o r e* *a f f i c i* *pronuntiavit*. Ex quo loco intelligimus, solemnem eam fuisse formulam, qua, quotiescunque proxime vocata populi pars maiore suffragiorum numero candidato munus quod petebat tribuendum consuerat, praeco eum renuntiabat: *Titius* *s e n i o r u m* *i u n i o r u m q u e* *c e n t u r i i s* *G a l e r i æ* *e t c.* *h o c* *v e l* *i l l o* *h o n o r e* *a f f i c i t u r*. Certe, etiamsi id Ciceronem voluisse non concesseris, illud sane concedas necesse est, praeconem non u n i u s centuriae (praerogativa fortasse excepta), sed plurium, iuniorumque quidem et seniorum, uno tempore suffragia pronuntiasse. At totarum classium sententiae si essent renuntiatae, bis tantum, vel ad summum ter vocem

præco sustulisset, neque igitur vocabulo *toties* Cicero uti potuisset. Quas igitur alias centurias una esse ad suffragium missas, ut una suffragium renuntiaretur, putemus, nisi eas, quæ essent tribules? Iterum iam Plancianam laudo. Nam cum Plancius ædilitatem peteret, non ut alias tributis comitiis primo suffragia iniri coepta sunt, sed, quod nunquam antea factum, centuriatis, iisdemque consularibus. Vid. Cic. Planc. 20., et ad eum locum Græv. Sed suffragiorum latione non ad finem perducta alia comitia sunt indicta ad ædiles creandos, tributa. Quibus cum Plancius esset renuntiatus, Laterensis, qui repulsam tulerat, ambitus eum postulabat, arguens, sequestrem fuisse, largitum esse, et quæ sunt alia. Hac in re Cicero his verbis utitur c. 22: *Et ais, prioribus comitiis* (i. e. centuriatis) *Aniensem* (tribum) *a Plotio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam: nunc* (comitiis posterioribus, i. e. tributis) *ab utroque eas avulsas, ne in angustum venirent.* Quibus locis illud, ni vehementer fallor, certum est, extremis liberæ reip. temporibus centurias ita fuisse tribubus comprehensas, ut cunctæ quæ ad unam tribum pertinerent centuriæ unum efficere in comitiis centuriatis suffragium putarentur. *) Quamdiu eius rei vestigia manserint, diffi-

*) Eodem Dionysii locus II, 7. p. 250: *ἐκάλει δὲ τὰς μὲν μείζους μοίρας τρίβους, τὰς δ' ἐλάττους κυρίας, ὡς καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον βίον ἔτι προσαγορεύονται*, pertineret, si vera esset Wachsmuthi V. S. interpretatio p. 194., qua de centuriis ut tribuum partibus Dionysium cogitasse arbitratur. Et sane favere ei videtur Festi locus infra laudandus, quo centuriata comitia eadem curiata esse appellata auctor est. Sed cum ex iis, quæ infra afferentur, constet, tribus a curiis

cile foret dicere, cum Imperatores nunc aboleverint, nunc restituerint comitia. Recentissima ni fallor eius rei ut exstantis adhuc, vel certe eius, quæ non ita sit abolita, ut locum iam omnino habere non possit, apud veteres mentio est apud Ausonium in gratiarum actione c. 13: *Valete modo classes populi et urbanarum tribuum prærogativæ et centuriæ iure vocatæ*, in quibus *prærogativæ* vocabulum, ut plerumque, substantive est accipiendum. Gratatur autem principi quod sola eius voluntate consulatum sit adeptus, non comitiis, unde sequi videtur, interdum etiam a posterioribus Imperatoribus comitiis esse concessum magistratum eligere. Sed incerta tamen res est, cum adulationis fortasse solius caussa Imperatoris voluntatem totius populi benevolentiæ, quæ libera rep. consules crearit, prætulerit. Certior ni fallor aliquanto de origine huius centuriarum per tribus distributionis erit disputatio, quamvis vix credam unquam posse tempus quo hæc tribuum ratio sit instituta ita demonstrari, ut cuilibet probetur sententia nostra, nisi quidem novi historiæ fontes aperiantur. Non enim ab initio eam exstitisse supra docuimus. Eadem vero universas tribus dignitate tunc esse usas, vel inde sequitur, quod non nisi e regionibus erant divisæ. Postea vero variam fuisse dignitatem necesse est, quoniam classibus continebantur, ita, ut classium discrimina ad illas transirent. Sed nihil usquam

---

Dionysii ætate non fuisse diversas, ex eademque re æque possit Festi locus explicari, præstare arbitror, nihil voluisse Dionysium, nisi, sua quoque ætate curiarum nomen exstitisse, credere.

certi de mutationis tempore legimus præter Livii locum XL, 51: *Mutarunt* (censores M. Aem. Lepidus et M. Fulvius Nobilior, anno u. c. IƆLXXIII) *suffragia: regionatimque generibus hominum caussisque et quæstibus tribus descripserunt.* Ex quo loco leviter inspicienti efficietur, anno demum IƆLXXIII. esse mutatam tribuum rationem inductam. At satis superque Livius IX, 46. (namque ad alterum illum locum postea revertemur) demonstrat, iam anno CCCCXLIX. hunc quem descripsimus rerum ordinem non esse institutum, sed restitutum. Appius Claudius enim: *humilibus per omnes tribus divisis forum et campum corrupit.* Qui poterat, nisi antea suas tribus effecerant? Qui autem suas illi tribus poterant efficere, si regionatim tantum, ut a Servio, non ex dignitate etiam, tribus erant descriptæ? Denique campus quomodo corrumpi poterat tribubus mutatis, nisi centuriæ tribuum iam tum erant partes? Ergo vel ex his patet, immerito e Livii verbis I, 43: *hunc ordinem, qui nunc est post expletas quinque et triginta tribus etc.* colligi, mutationem triginta quinque demum tribuum numero esse effectam; sensum vero esse hunc, ut Livius suam tantum ætatem (*post*, non *statim post* expletas XXXV tribus), cum Servii ætate (*ad institutam ab Ser. Tullio summam*, tribuum sc.) contulerit, neglecto eo tempore, quod esset interiectum. — Sed antiquiorem esse hunc rerum ordinem anno CCCCXLIX. modo vidimus. Atqui anno CCCLXXII. eum exstitisse, Livius VI, 21. docere videtur his verbis: *omnes tribus bellum iusserunt.* Nam centuriatis comitiis de bello actum esse, Dionysius auctor est IV, 20. p. 686. — Eandem tribu-

um rationem idem (V, 18.) exhibet anno CCCLVIII: *Prærogativa tribunum militum* (cos. pot.) — — *creant*, — — — — *omnesque deinceps ex collegio eiusdem anni refici apparebat* — — —: *qui priusquam renuntiarentur iure vocatis tribubus*, *etc.* Nec is quidem princeps est ea de re locus, sed idem Livius IV, 24. ad annum CCCXXI. hæc habet: *Censores ægre passi, Mamercum, quod magistratum populi Romani minuisset, tribu moverunt, octuplicatoque censu ærarium fecerunt.* Nusquam, ni vehementer erro, antea quisquam *tribu motus* legitur. Claudius vero apud Livium XLV, 15. docuit, censorem *suffragii lationem* — — *nemini, nedum ordini adimere posse. Neque enim si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare iubere tribum, ideo omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse: i. e. civitatem libertatemque eripere; non ubi censeatur finire, sed censu excludere.* Ex quibus locis apparet, ærarium non esse, quæ vulgaris est opinio, eum, qui suffragii iure atque civitate careat, sed eum, qui in suffragio ferendo atque in honore dignitateque constituenda inferiori classi quam antea annumeretur, in tributo autem pendendo vel eidem cui antea, vel maiori etiam, ita, ut et summi loci et infimi incommoda coniungat, utriusque commodis egeat. Jam vero ubi cum tribu classis quoque mutatur (v. s: *tribu mov. octuplicatoq. censu ær. f.*; *ubi censeatur* etc.) necesse est, tribus classium sint partes: quare statuendum est, anno CCCXXI. tribuum centuriarumque rationem iam fuisse coniunctam. Temerarium autem foret statuere, hoc ipso demum anno tribus esse mutatas, quo nullum eius

rei vestigium exstat, præsertim cum non ita multo antea alia res commemoretur, quam cum mutatione illa coniunctam esse nemo dubitare posse videtur. Namque secundum Livium III, 30: *tricesimo sexto anno a primis tribunis plebis decem creati sunt, bini ex singulis classibus.* Ergo iam anno CCXCVII. p. u. c. classium partes tribus fuere. Immo antea iam monui, Livii locum II, 56,, quo rogationem a Volerone latam, *ut plebeii magistratus tributis comitiis fierent*, rem vocat, *quæ patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos auferret*, facillime explicari, si iam tum centurias tribuum fuisse partes arbitremur. Qua de re dubitare non possumus, si Asconio fidem habemus, qui ad Cic. fragm. Corn. *quinque primum tribunos* ait esse *creatos, singulos ex singulis classibus.* Creati autem illi anno u. c. CCLXI. Asconio Tonaras assentitur (ed. Wolf. T. II. p. 22, 60. cf. p. 23, 42.). Facilem autem esse istam interpretationem certum esse videtur. Nam cum clientes, ut cum magna veri specie Niebuhrius coniecit, ad infimam classem pertinuerint, facile intelligitur, tribubus quoque infimis eos esse comprehensos, adeo ut inania eorum essent suffragia (v. s.); patricios ipsos vero noluisse fere comitiis tributis suffragia ferre, antea monui. Potuisse enim eos, etiamsi solis equitum centuriis contentos esse statuas, Livius docet XXIV, 18: *His equi ademti, qui publicum equum habebant, tribuque moti et ærarii omnes facti*, et eo loco, quem antea attuli, IV, 24., cum ipse Mamercus antiquissimo patriciorum genere esset natus. — Sed præter facilem explicandi rationem aliud quoddam est, quod huic interpreta-

tioni favet. Verisimile enim, patricios tum tribuum rationem esse immutandam paullulum censuisse, cum non solum ad delectum habendum, sed iudiciorum caussa creandorumque magistratunm tribus convocari coeperint. Quare si e Dionysii verbis VII, 59. p. 1448 sqq. colligere liceret, primam omnium Coriolani canssam comitiis tributis esse actam, eum ipsum annum CCLXIII. mutationi illi tribuerim; sed cum certi inde nihil elici queat, quoniam iisdem fere verbis in legis Publiliæ rogatione, IX, 41. p. 1854. ntitur, cumque præterea Asconii verba modo allata biennio iam antea tribuum per classes distributionem exstitisse doceant, non possum qnin credam, iam tum esse tribus mutatas, cum XXI tribus fierent, anno CCLIX. Nam cum antea, dum ob solum delectum tribus vocabantur, nihil referret, par an impar earum esset numerus, simulatque suffragia erant ineunda, imparem esse oportebat. Jam vero post Claudiæ tribus accessionem usque ad hunc ipsum annum XX tribus fuisse, ni necesse, at verisimile est. Sed postea eo semper numero tribus sunt additæ, ut impar numerus maneret. Qua re ni fallor illud docetur, aut ideo imparem nnmerum tunc esse constitutum, ut comitia haberi possent tributa, aut paullo post Romanos ipso apto numero usos iusta comitia instituisse. Sed prior ratio præstare videtnr, quoniam post Claudiam tribum additam non auctus esse ager Romanus videtur, sed ad summum pristinæ amplitudini restitutus, adeo, ut nisi ad suffragia ferenda non opus fuisset tribu addita. Ex eo igitur tempore centuriæ per tribus erant distributæ, sed, id quod antea iam attigi, non omnes tribus omnium classium contine-

bant centurias, verum singulæ classes suis conficiebantur tribubus. Quæ res vel iis locis docetur quos antea attuli, Cic. agr. II, 2. Mil. 32. Liv. IX, 46. IV, 24. XLV, 15. II, 56. XXIV, 18. Vell. Pat. II, 20., quibus similis addatur Liv. epit. XX. Quonam enim consilio infimus quisque e reliquis tribubus separatus et in paucas tribus coniectus fuerit, ni verendum esse videbatur, ne, si tanta humillimorum turba per tribus esset dispersa, cui vix par numerus a reliquis omnibus posset opponi, ea comitia regeret et tributa et centuriata (*forum et campum* Liv. IX, 46.), et perditissimorum hominum consiliis obsequium præstaret? Quomodo denique aliæ tribus aliis potuerint esse inferiores, nisi ex classium discrimine? Neque vero desunt loci, qui apertis verbis declarant, ne honestiores quidem tribus rusticas omnium classium continuisse centurias, sed singulas classes suas habuisse tribus. Cic. Phil. II, 33: *Ecce Dolabellæ comitiorum dies, sortitio prærogativæ: quiescit; renuntiatur: tacet; prima classis vocatur; deinde ut assolet suffragia; tum secunda classis* [*vocatur*]. Ita enim locum esse legendum, recte Italiæ decus, magnum Garatonium, vidisse credo, quamvis persuadere mihi non possim, de sex suffragiis sive hunc cogitasse, sive esse cogitandum, quæ Niebuhrii est opinio. Nihil aliud voluisse Ciceronem existimo, nisi post vocationem primam classem suffragia tulisse. Sed quicquid sit de lectione, illud certe apparet, primas post prærogativam solas primæ classis tribus esse (iure) vocatas, deinde secundæ et sic porro. Sallustius de ord. rep. II, 8: *De magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Gracchus*

promulgaverat, (non vero, credo, pertulerat), *ut ex confusis quinque classibus sorte centuriæ vocarentur*. Quo tempore quidem centurias fuisse tribuum partes, ideoque ex tribuum ratione suffragia esse lata, supra exposuimus. Recte huic loco Cortius iunxit alterum Liv. XXVI, 18: *Jussi deinde inire confusum suffragium ad unum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania iusserunt.* Quæ res statim *nova* vocatur. Cic. de legg. III, 19. *Descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad suffragium consilii, quam fuse in tribus convocatus:* in quibus non tribus a centuriis, sed comitia tributa a centuriatis separantur, de quorum discrimine infra exponemus. Hoc enim præter sententiarum seriem alter eiusdem libri locus c. 3. aperte indicat, legem dico illam fictam: *populique partes in tribus describunto* (censores): *exin pecunias, ævitates, ordines partiunto: equitum peditumque prolem describunto etc.* — Liv. XLIII, 18: *Prior Claudius caussam dixit. Et cum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis, extemplo principes civitatis — — vestem mutarunt.* De quo loco infra agemus. Idem denique eo quoque docemur, quod ipsas tribus certo ordine suffragia tulisse, aliamque alia fuisse inferiorem, e locis supra allatis Liv. V, 18. XLV, 15. Cic. agr. II, 2. constat, quibus unum addas Liv. XXVII, 6. infra afferendum. Neque enim, ut alia taceam, alio sensu tribus centuriæve *iure vocatæ* dici poterant.

Ex his magna cum veri specie quis affirmaverit, per totam liberæ reip. ætatem ab anno inde

CCLIX. unam eandemque mansisse tribuum atque centuriarum indolem. Sed quamvis coniunctam utrarumque rationem eo tempore semper fuisse certum sit, unum tamen est, quo postea earum naturam esse mutatam efficitur. Nam Livius XL, 51. loco supra allato: *Mutarunt*, inquit, *suffragia* (censores M. Aem. Lepidus et M. Fulvius Nobilior, anno u. c. IↃLXXIII.): *regionatimque generibus hominum caussisque et quaestibus tribus descripserunt.* Ergo ex eo tempore contra quam antea in tribubus atque centuriis, quas cum illis tunc fuisse coniunctas supra didicimus, distribuendis quatuor res spectabantur: *regiones*, ut vicini essent et tribules et centuriales; *genus*, ut et cognationis et communium sacrorum vinculo invicem tenerentur, quae res effecit, ut tribus iam a curiis aut nihil aut paullulum tantum differrent (v. infra); *caussae*, ut conditione eadem uterentur et censu qui ad eandem tribum centuriamve pertinerent. Is enim huius vocabuli sensus frequentissime est obvius (v. Gesn. thes.); sed magis placet eam h. l. verbi significationem esse statuere, quam apud Ciceronem pro Quinct. 15. legimus, quo loco *coniunctio* quaedam est *amicitiae atque necessitudinis.* Quam si Livius voluit, ea tantum nominatim attulit, quae tunc nova sunt instituta, cum censum antea quoque spectaverint. Denique *quaestuum* ratio est habita, ut qui eodem victus quaestusque genere uterentur, iidem una centuria tribuve continerentur. Haec ita habere ut iam proposui, et ipsa verba docent, et eo confirmari videtur, quod prorsus eadem ratione et aliis in rebus et in senatoribus civitatium provincialium eligendis genus, aetas, quaestus spectabatur. Eodem lapides

faciunt Impp. ætate inscripti, quos infra afferam in centuriarum numero definiendo. In iis enim procul dubio centuriæ *corporum* nomine veniunt. Sed hæc nunc mittamus. Denique Ciceronis adde locos de legg. III, 3. et 19. (V. s. p. 89.). Hoc certum esse videtur, qui eodem censu, eodemque genere et quæstu uterentur, iidemque vicini essent, in eandem tribum esse coniectos. Sic libertinos cunctos paucis annis post in tribum Esquilinam esse coniectos, scimus e Liv. XLV, 15. — At aliter antea res habuit. Neque enim regionatim, neque ex genere caussisve aut quæstibus divisas fuisse tribus et centurias, ex ipso illo Livii loco XL, 51. si quid video efficitur, quoniam sola ea afferri videntur, quæ *mutata* sint in tribuum ratione, non quæ manserint. Neque huic rei quæstuum mentio adversatur. Quamvis enim fabri, cornicines, tibicines ex quæstibus videantur esse descripti, longe plurimæ tamen centuriæ ex solo censu fuere descriptæ atque ætate, cumque tribuum ratio cum illis coniungeretur, eæ quoque desierunt regionatim esse divisæ, adeo ut recte Wachsmuthus V. S. suspicatus esse videatur, anno u. c. CCLIX. una cum numero indolem quoque tribuum esse mutatam.

Sed his expositis iure meritoque iam quæretur, quot tandem centuriæ unam tribum effecerint, quot tribus ad singulas classes pertinuerint. Quæ res cum explicari non possit, nisi antea de centuriarum qui libera rep. fuerit numero constet, utramque disputationem coniungamus. — Varios esse maximeque discrepantes recentiorum et de universarum centuriarum numero et de ratione, qua per classes fuerint distributæ, opiniones, supra monui. Alii

enim auctum, alii imminutum, alii denique retentum putant centuriarum numerum. Qui auctum, cum Pantagatho et Ant. Augustino CCCLXXXV. factas censent, qui imminutum, cum Niebuhrio (de comitiis p. 27.) ad septuaginta redactas, denique qui servatum, vel cum Hermanno ademtas primæ classi decem centurias inferioribus classibus esse adiectas, vel classes quoque singulas totidem quot a Servio fuerant attributæ retinuisse centurias arbitrantur. Nos singulas opiniones examinare conabimur, ea tamen omissuri, quæ antea de Livii loco I, 43. monuimus.

Pantagathus apud Ant. Augustinum primam classem centum quinque centuriis constituisse arbitratur: XXXV equitum, totidem seniorum, totidemque iuniorum centuriis; reliquas classes septuagenis: quinis et tricenis iuniorum, totidemque seniorum, ex tribuum numero; sextam classem fuisse abolitam. Ita autem, si recte eum intellexi, per tribus eas distributas fuisse censet, ut singulæ tribus ternas primæ, binas secundæ et reliquarum classium centurias continuerint. Nititur eius sententia imprimis in Livii loco I, 43., cui illud addit, singulas centurias tribuum suarum nominibus vocari, addito *iuniorum seniorumve* vocabulo, et apud Livium XXIV, 7. XXVI, 22. XXVII, 6. et in lapide (Grut. thes. p. 239, 3.). Atqui ad priorem illum locum immerito provocari supra iam exposui, prœter alia eo imprimis usus, quod fieri non possit, ut Livius centuriarum numerum divisione in iuniores senioresque duplicatum putaverit, cum ipse iam a Servio ita eas esse divisas eodem capite tradiderit. Reliqua quomodo habeant, iam indage-

mus. Recte sane trium Livii locorum candem prorsus esse rationem, quam veteris inscriptionis illius, vidisse vir longe doctissimus videtur. Et ego quoque antequam Augustinum legissem non aliter lapidem explicavi. Namque apud Livium XXIV, 7. *Aniensis iuniorum*, XXVI, 22. *Veturia iuniorum* atque *seniorum*, XXVII, 6. *Galeria iuniorum* ita commemorantur, ut nemo queat dubitare, esse ea singularum centuriarum nomina; eademque ratione in lapide illo *tribus Sucusana iunior.* reperitur. Sed inde si quid posset effici, illud potius efficeretur, quod Niebuhrio faveret, singulas tribus non cuiusque classis, sed omnino binas centurias comprehendisse: qua de re infra agemus. Illud certum videtur, Pantagathi sententiam his locis non iuvari. Qui enim aliter classis mentio ubique omitti potuisset, prorsus necessaria illa, si tot fuerunt in singulis tribubus centuriæ? Contra sunt quædam, quæ prorsus ei adversantur. Primum enim si XXXV fuissent equitum centuriæ, ineptus esset Livii locus XLIII, 18. infra illustrandus, quo principes civitatis vestem mutasse, et supplices plebem circumisse dicuntur, cum *ex XII centuriis equitum octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis.* Etiamsi enim numerum XII. aliunde invectum putemus, intelligi tamen non potest, quomodo in tam exiguo condemnantium numero atram vestem induere potuerint, quæ res, si retentum esse antiquum centuriarum numerum arbitremur, facillime intelligitur. — Deinde singulas tribus singularum, non universarum classium centurias continuisse, supra demonstratum est. Qua re tota illa opinio refutatur. Denique, quod summum est, extremo quo-

que liberæ reip. tempore eiusmodi centuriæ exstiterunt, ut, quotiescunque centuriatim res agerentur, principes civitatis reliquos superarent; qua re efficitur, tunc quoque primam classem plures centurias habuisse, quam reliquas classes cunctas. Etenim si testimonia deessent, nihilominus certum esset, nulla vi coactos principes illos auctoritatem suam comitiorum regundorum fuisse perdituros. Sed ipsi veteres idem tradiderunt. Nam ut alia eius rei indicia taceam, quæ frequentissima sunt apud illius ætatis scriptores, Ciceronem quoque de Rep. II. p. 53. sq. idem prodere, supra monui. Sed alius locus apertior etiam illo exstat. Namque Appianus de bellis civ. I, 59. ubi restitutum a Sulla reip. statum describit, hæc habet: Ἐςηγοῦντό τε (Sulla et Pompeius) — — τὰς χειροτονίας μὴ κατὰ φυλάς, ἀλλὰ κατὰ λόχους, ὡς Τύλλιος βασιλεὺς ἔταξε, γίγνεσθαι. Quo ex loco nunc hoc tantum, quod nemo qui sententiarum seriem consuluerit doceri negabit, efficio, *exstitisse* eo tempore eiusmodi centuriarum distributionem, ut comitiis ex ea habitis non iam ut in tributis comitiis plebs infima atque vulgus, sed optimates remp. regerent. Illud enim ipsum Sullæ fuisse consilium nemo ignorat. Atqui Pantagathum si recte vidisse censuerimus, primam classem longe a reliquis superari apertum est, cum ipsa centum quinque, reliquæ vero ducentas octoginta centurias contineant. His adde altum omnium scriptorum de aucto centuriarum numero silentium, et ostentum iam ni fallor esse concedes, ingeniosam quidem, sed falsam tamen Pantagathi esse sententiam.

Niebuhrius argumenta, quibus adductus LXX

fuisse centurias arbitretur, nondum protulit, nisi quod ad Livii locum sæpissime iam laudatum, I, 43. et ipse provocat. Sed eum sic non posse explicari, certe in opinione illa probanda nullius prorsus esse utilitatis, supra iam satis ostentum esse videtur. Quare ut rite eam quoque sententiam examinemus, argumenta quædam proponamus, quibus collega amicissimus F. C. Wolffius in sua huius rei expositione, Niebuhrianæ simillima, utebatur. Provocabat enim præter istum Livii locum ad alios eiusdem locos, eosdem, quibus Pantagathum esse usum antea diximus, XXIV, 7. XXVI, 22. XXVII, 6., quibus unum addidit XLIII, 18. Putabat enim ex nominibus istis: *Galeria iuniorum*, sim. sequi, ut binæ ad singulas tribus pertinuerint centuriæ, iuniorum altera, altera seniorum. Ex duodecim vero equitum centuriarum mentione imminutum et harum esse, et reliquarum efficiebat centuriarum numerum. Et nos quidem primum de prioribus illis locis videamus, quorum eandem esse quam inscriptionis illius rationem supra Pantagatho sumus assensi. Ita enim illa se habet:

PACI. ÆTERNÆ
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS. AVG.
LIBERORVMQVE. EJVS. SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR.

Vix credo quemquam esse qui dubitet, eam quoque quæ huic dedicationi subscripserit *tribum Sucusanam iuniorum* vel *iuniorem* esse *eius tribus centuriam iuniorum*, sicut apud Livium *Veturiam iuniorum* sim. esse tribus Veturiæ centuriam iuni-

orum satis constat. Et sane ubi solum hunc lapidem cum Livii locis conferimus, non possumus pæne quin binis centuriis tribus constitisse arbitremur. *) Sed alii lapides reperiuntur simillimi argumenti. Apud Grüterum enim p. 711, 11. hæc legimus:

D M
C. IVLI. VALERI. LVCILIANI. TRIBVLI. TRIBVS
PALATINE. CORP. IVNIORIS. QVI. VIXIT. ANNIS
QVINQVE. MESES. VII. DIES. VIIII. IVLIA. CALLIROE
MATER. FILIO. DVLCISSIMO

et p. 1115, 8.

DIS. MANIBVS
P. ÆLIO. P. F. BELLENIO. ARISTONI. ELECTO OB
FIDEM. ET. INDVSTRIAM. SVAM. A. TRIBVLIBVS. TRIBVS
PALATINÆ. CORPORIS. SENIORVM. CLIENTIVM. PERP
SCRIBÆ. ET. VIATORI. etc.

---

*) Pantagathus contra quinas seniorum, totidem iuniorum, singulas equitum centurias singulis tribubus esse comprehensas opinatur, qui tamen, cum de Livii sententia certa res esse videatur, eandemque utrumque conferenti esse inscriptioni tribuendam appareat, denique cum omnia eius interpretationem dissuadeant, non audiendus esse videtur. Neque enim in eo quidem probandus est, quod ingentem subscriptorum in aversa monumenti illius parte numerum plures centuriones continere putavit. Etenim iuniores esse omnes, ipsa inscriptionis verba testantur. Jam vero, cum Pantagathus quin-

In quibus idem esse *tribus Palatinae* (urbanae, ut Sucusana, quare *clientium* additur) *corpus iunius* et *seniorum*, ac si scriptum esset: *tribus Palatina iuniorum et seniorum*, quilibet, ni omnia me fallunt, concedet. Sequitur igitur, ut *corpora*, si tribuum nominibus iungantur, sub Imperatoribus a *centuriis* non diversa fuerint. Jam vero idem Gruterus p. 243, 1. haec habet:

VICTORIAE
IMP. CAESARIS. VESPASIANI
AVGVSTI
— — — — — — — SACRVM
— TRIB. SVC. CORP. IVLIANI
C. IVLIVS. HERMES. MENSOR
BIS. HON. INCVRAT. FVNCTVS. ET. NO-
MINE
C. IVLI REGILLI. FILI. DE SVO. FECIT
CVI. POPVLVS. EIVS. CORPORIS. IMMV-
NITATEM
SEX. CENTVRIARVM. DECREVIT.

Hic quoque *tribus Sucusanae corpus Julianum* esse centuriam quandam eo nomine insignitam praeter ea, quae antea attuli, etiam extremis illis verbis *populus eius corporis* docetur. *Sex centurias* esse equitum sex suffragia (v. s.) non dubium videtur.

---

que iuniorum centurias uni tribui attribuat, in lapide octo nominum ordines reperiuntur, et ii quidem, ut idem nomen interdum aliquoties recurrat. Qua re patere videtur, hoc lapide Pantagathi sententiam non foveri, sed octo illos hominum ordines ad unam eandemque centuriam pertinuisse. Quales vero fuerint, definire non audeo.

De ipsa illa immunitate infra pauca disseremus. — Pag. 78, 3. hæc reperiuntur:

FORTVNÆ. REDVCI
DOMVS. AVGVST
SACRVM
TRIB. SVC. CORP. FOEDER.
etc.
IMMVNES. PERPETVO. D. D.

et eadem pag., 4:

REDVCI. DOMVS
SACRVM
TRIB. SVC. CORP. — — — — — — — — —
FOEDER — — — — — — — —

Hæc omnia cum Livii locis supra laudatis ubi contulerimus, efficietur, si, quod negare temerarium videtur, *tribuum* ista *corpora* eadem sint centuriæ, tres tribus Sucusanæ sive Suburanæ nominetenus centurias esse cognitas: *iuniorum*, *Julianam*, *foederatorum*, quibus certissima coniectura *seniorum* centuriam addere licebit. Nec multum iam abesse arbitror, quin erroris eum arguamus, qui non nisi binas in singulis tribubus centurias fuisse credat.

Sed alius iam Livii locus restat, XLIII, 18; *Prior Claudius caussam dixit; et cum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi annulis aureis positis vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent.* Quo tamen loco ipse Niebuhrius in sententia sua tuenda uti noluit. Nam si LXX universe fuerunt centuriæ, præter duodecim equitum centurias, quas ex illo loco eliciunt, quatuor et vi-

ginti tantum peditum centurias prima classis continuerit necesse est, cum nec maiorem numerum inferiores classes, nec minorem prima passa esset, ne alterutrius auctoritas frangeretur. Atqui non plures, quam dimidiam primæ classis centuriarum partem censorem damnasse inde apparet, quod *multas* dixit, non *plurimas*. Quis vero Livium credat duodecim ad summum centurias ut multas ab octo equitum centuriis separaturum fuisse? Deinde credi non potest reliquas primæ classis centurias tantam equitibus auctoritatem fuisse concessuras, ut tertiam suffragiorum partem tenerent. Sin vero eandem rationem in omnibus classibus minuendi centuriarum numeri esse servatum arbitraris, non LXX efficientur, sed CXXVIII centuriæ. Ex quibus constare videtur, aut corruptum esse locum, aut aliter explicandum. Si corruptus est habendus, facillima est emendatio. Namque numerus XII aliunde invectus hunc locum erit existimandus, ortus ille ex inverso numero IIX. Sed præstare altera ratio videtur, quam Hermannum quoque (ep. ad Steinack. p. 8. sq.) et Niebuhrium esse amplexos non sine aliquo gaudio intellexi. Cogitavit enim Livius de primoribus illis XII equitum centuriis, quas Servium addidisse supra vidimus.

Quæ cum ita sint, concidere puto sententiam illam de LXX tribubus, cum neque quibus aliis rationibus ea defendi possit intelligam, et nulla usquam mutati centuriarum numeri mentio reperiatur. Sed unum addam de quo Niebuhrius non cogitasse videtur. Nam, ut antea iam monui, credi non potest Romanos, in rep. constituenda longe sapientissimos, in suffragiis ferendis pari centuriarum numero

esse usos, cum ita sæpissime totidem suffragia rem probare oporteret atque reprobassent. Quare haud temere mihi agere videor, si ficto illi LXX centuriarum numero fidem derogem, præsertim cum haud obscurum exstet testimonium de antiquo numero servato, quod statim afferemus.

Jamque ad eam accedo sententiam, quam impugnaturum me horror, neque enim diffiteor, invadit ob ipsam auctoris nominis magnitudinem. Sed eadem animum mihi addit, ut quod sentiam proloquar, quoniam et ignoturum modeste obloquenti Hermannum, neque contemturum me, ob humanitatem cum magnitudine coniunctam persuasum habeo. Ille igitur V. S., quo Ciceronis locum de rep. supra laud. explicaret, statuit, servatum esse universarum centuriarum numerum; sed rationem ita esse mutatam, ut prima classis præter XVIII equitum centurias septuaginta tantum centurias contineret per universas tribus distributas. Et sane quidem si ad sola Scipionis tempora locus ille pertineret, nec reliqua veterum testimonia alia exhiberent, sola ea esset ratio, qua in loco illo explicando codicis Ms. lectionem possemus servare, quamvis vel ita inserto inter verba *ut* et *centuriæ* numero *II* sensus quidam elici posset. Sed primum, quod Niebuhrius iam monuit, *nonaginta sex* illæ centuriæ ita nominantur, ut opponi reliquis atque ab iis separari quasi totum quoddam videantur, eadem prorsus ratione, qua apud alios scriptores reliquæ classes a prima separantur. Deinde sententiarum series, qua regum res gestas atque instituta Cicero exponit, de Servio cogitandum esse suadet. Contra præsentis temporis usus, imprimisque illud,

quod nemini esse eam, quam describit, centuriarum rationem ignotam dicit, de sua Scipionisque ætate eum cogitasse arguunt. Quare, supra iam monui, videri eum ita de Servii instituto loqui, ut sui temporis mentionem inserat. Sed certiora ni fallor aliunde quærenda sunt. — Primum igitur primæ classis centurias per universas tribus fuisse distributas arbitratur. Sed supra nobis demonstrasse videmur, singulas tribus non nisi unius classis centurias continuisse. Deinde decem illas centurias primæ classi ademtas extremis classibus addidit. At, quod Niebuhrius quoque monuit, prima classis neutiquam infringi ita auctoritatem suam passura fuisse videtur. Denique Livii locos de tribubus iuniorum atque seniorum nihil hanc et similes sententias iuvare supra intelleximus. Quæ antea exposita iam nolumus repetere, sed cum haud difficilis sit Ciceroniani loci paullulum mutati explicatio, ea vero quæ attuli repugnare alteri illi expositioni videantur, nec opus esse, nec licere arbitror, rem novam et nullis certis veterum testimoniis nixam, contra satis apertis indiciis adversam, inducere et defendere.

Ego quam sententiam tuear, antea iam adumbravi. Nam præter ea quæ antea attuli, et præter veterum omnium de mutato centuriarum numero classiumque inter se ratione silentium, loci quidam sunt veterum, quibus, ni ratio me fallit, haud obscure retentum esse a Servii temporibus centuriarum numerum perhibetur, ita tamen, ut una alterave fortasse sit abolita, quæ res et in tanto centuriarum numero minoris erat momenti, quam cuius accurata fieret mentio, cum non nisi aliud agen-

tes de suæ ætatis rebus publicis sint locuti, et omitti vel ideo poterat, quod, ut supra monui, addititiæ quædam erant centuriæ, quarum fortasse sæpius fuerat ratio mutata, adeo, ut antiquissima earum ratio ipsos fortasse veteres fugeret. — Non equidem nunc ad Ciceronis locum recurro, cuius non satis certam esse explicationem fateor. Sed Appiani locus antea laudatus (de B. C. I, 59.) plus etiam continere videtur, quam quod tunc inde confeci. Nam cum ex Servianis centuriis imposterum comitia haberi Sulla iusserit, exstitisse eas adhuc sequi videtur, certe cognitas fuisse apparet. Sed alius est locus certior atque apertior, Dion. IV, 21. p. 689: *Οὗτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος* (centuriarum numerum atque rationem Servianam exposuit) *ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεὰς φυλαττόμενος ὑπὸ Ῥωμαίων. ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κεκίνηται χρόνοις, καὶ μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον, ἀνάγκαις τισὶ βιασθεὶς ἰσχυραῖς, οὐ τῶν λόχων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κλήσεως αὐτῶν οὐκ ἔτι τὴν ἀρχαίαν ἀκρίβειαν φυλαττούσης.* Non igitur centuriæ Servianæ erant dissolutæ, sed aliter quam antiquitus in comitiis ad suffragia vocabantur. Quamquam autem is locus omnem iam difficultatem diluere videtur, tamen ex eo ipso nova oritur difficultas. Nam quod dicit, sub suam demum ætatem centuriarum vocationem esse mutatam, cum iis pugnat, quæ antea e veterum testimoniis demonstrare conati sumus, non ita diu post libertatem a Romanis acquisitam tribuum centuriarumque rationem fuisse coniunctam. Sed, ni vehementer fallor, illud ei obversabatur, quod antea e Livii loco XL, 51. docuimus, anno IↃLXXIII ita esse mutatam tribuum centuriarumque rationem, ut

regiones, genera, caussæ et quæstus in iis distribuendis spectarentur. Jamque, cum antea reperiret in centuriis dividendis regionum reliquarumque illarum rerum nullam esse habitam rationem, inde collegisse videtur, tum demum centurias esse tribuum partes factas. Nec mirari nos oportet, in his quoque eum potuisse errare qui toties erravit, cum ex Livii indiciis effecerimus, antea tribuum rationem nominibus retentis esse ita mutatam, ut cum antiqua centuriarum indole conveniret, tunc vero ad pristinam pæne naturam, quam Servius instituerat, redisse. — De centuriis quæ postea sint abolitæ supra monui. Illud apparet, singulas tribus quinas vel senas centurias continuisse.

Sed ne longiores in his esse videamur, ad comitiorum rationem accedimus, in qua tamen describenda ea prætermittamus, de quibus inter omnes constat. Mitto igitur iam magistratus qui comitia potuerint habere, res quæ iis agitatæ sint, alia; et primum centuriatorum comitiorum atque tributorum discrimen breviter exponam. Quamvis enim centuriis per tribus distributis nihil fuisse discriminis possit videri, fuisse tamen diversa et inde apparet, quod tanto opere interdum patricii illorum auctoritatem atque usum servare atque augere, horum minuere studebant, et aperte Cicero docet de legg. III, 19: *Descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad suffragium consilii quam fuse in tribus convocatus.* Quo loco non centurias a tribubus, sed comitia centuriata a tributis separari supra iam monui. In centuriatis igitur comitiis in tribus atque centurias dispositus suffragia ferebat populus, ita, ut primum

singulæ unius tribus centuriæ in suffragia irent, quo singularum sententiæ efficerentur; deinde numeratis totarum centuriarum suffragiis maior suffragiorum numerus eius tribus suffragium habebatur; mox reliquæ tribus eadem ratione ex ordine vocabantur, donec maiore tribuum numero consentiente comitia essent ad finem perducta. Tributis vero comitiis totæ tribus simul ad suffragia vocabantur, et quidem, ni omnia me fallunt, nulla ordinis earum dignitatisve habita ratione, fortasse sortitæ, quam rationem C. Gracchus ad centurias quoque voluerat transferre. In singulis autem tribubus non centuriarum sed singulorum civium consentientium numerus spectabatur, adeo ut longe alia vel eam ob caussam essent tribuum scita quam centuriarum. Etenim, ut hoc utar, unam tribum fac quinque centuriis, singulas centurias CCCL capitibus constitisse, suffragiaque esse ineunda de reo aut condemnando aut absolvendo. Utrisque comitiis absolvatur reus IↃCCX suffragiis, condemnetur CIↃXL: tributis sane comitiis tribum illam reum condemnaturam apertum est; at centuriatis totidem suffragiis absolvet. Quam rem satis apertam fore numeris appositis confido. In [illegible]

centuria I. — suffragia CLXXX absolv; CLXX cond.
- II. — CLXXX CLXX
- III. — CLXXX CLXX
- IV. — CLXX CLXXX
- V. — O CCCL

Tres centuriæ igitur absolvunt, duæ condemnant; at CIↃXL homines condemnant, IↃCCX absolvunt. Quæ suffragiorum ferendorum ratio, quamvis magna

ex parte coniectura nitatur, tamen non potest, opinor, multum a vero abhorrere. Sed alia videamus aliquanto certiora.

Initio a Servio certum fuisse omnium centuriarum ordinem, cum nemo aliud prodat, verisimile videtur; sed postea mutatis reliquis ea quoque res est mutata. Jam enim sorte ea centuria eligebatur, quæ princeps suffragium iniret Liv. XXIV, 7. XXVII, 6. Cic. Phil. II, 33., et quasi omen comitiis exsisteret Cic. de div. I, 45. Mur. 18. Planc. 20. Liv. XXVI, 22. *Prærogativa* vocabatur (cf. Liv. V, 18., quæ princeps ni fallor eius est mentio) eo, quod præ ceteris sententiam rogabatur. Errare autem, si qui hac re opulentissimorum auctoritatem esse infractam atque imminutam arbitrentur, Sallustius docet loco aliquoties laudato, ex quo apparet; non *confusis quinque classibus* centurias esse sorte vocatas, sed unius tantum classis centurias de prærogativa esse sortitas. Atqui cum centuriæ per tribus essent divisæ, aut his sortem esse de prærogativa ductam, primum de tribu, deinde de centuria, quæ vulgaris est opinio, aut non omnes tribuum centurias, sed singulas e singulis esse sortitas erit statuendum. Apud Livium vero V, 18, loco sæpius laudato, legimus, post prærogativæ suffragia communem eius sententiam a præcone *tribubus* iure vocatis esse renuntiatam, ideoque tribus *iure vocatas*, i. e. certo, neque sorte demum finito, ordine mox suffragia inisse: unde sequi videtur, veriorem esse posteriorem rationem. Accedit, quod nusquam repetitæ sortitionis vestigium reperitur, nusquam apud liberæ quidem civitatis scriptores tribus prærogativæ nomen, ubique centuriæ (Liv. X, 22.

XXIV, 8. cf. 9. XXVI, 22. Cic. Planc. 20.) Sed etiamsi tribus praerogativae apud illos exstaret qualis posterioris temporis commemoratio exstat apud Asconium in Cic. Verr. Act. I, 9. (*Praerogativae sunt tribus, quae primae suffragium ferunt ante iure vocatas*), nihil tamen inde de iterata sortitione sequeretur, quoniam vel ita statuendum esse videretur, tribum praerogativam ex stato centuriarum ordine suffragia tulisse, adeo ut quae dignitate princeps, eadem praerogativa fuerit centuria. Itaque coniicio, non nisi primas omnium primae classis tribuum centurias esse sortitas, reliquas suo iure secutas, ita quidem, ut praerogativae statim reliquae centuriae tribules adiungerentur, deinde princeps tribus, mox reliquae suo ordine in suffragia irent. Sed unum manet dubium, quam rationem praerogativa centuria cum tribulibus suis habuerit? Nam duo puncta tribum illam effecisse cuius esset praerogativa, unum huius, alterum reliquarum, ob tribuum numerum credi non potest. Cum enim XXXV tribus essent, fieri non poterat, ut par suffragiorum numerus utramque sententiam probaret, nisi quidem per singularum tribuum indolem. Quae cum fieri paene non posset, quin interdum pari centuriarum numero constarent, ita, ut unius alteriusve tribus suffragium paribus eius centuriarum suffragiis posset excidere, adeo, ut pro XXXV tribubus iam non nisi XXXIV numerarentur quae suffragia tulissent, lege cautum est, ut reus totidem suffragiis absolutus atque condemnatus absolveretur. (Dion. VII, 64. p. 1467.). Sed ita suffragia esse instituta, ut facile eodem numero utrumque et probarent et vituperarent, non arbitror, quoniam ea ipsa re paene

inutilia facta essent comitia. Sed si tribus centuriae praerogativae duo puncta habuisset, non XXXV, sed XXXVI suffragia numeranda fuissent. Quare illud parum probabile mihi videtur. Longe autem difficilius illud videtur iudicatu, utrum praeter ipsam praerogativam reliquae eius tribus centuriae suffragii lationem amiserint, vel potius in eandem sententiam necessario ierint, an vero ipsa praerogativa praeterquam quod omen comitiorum habebatur (v. s.) nihil auctoritatis habuerit. Nam cum plerumque ita praerogativa commemoretur, ut de una tantum centuria cogitare cogamur, Livii locus V, 18. (v. s.), ex quo praerogativae suffragium reliquis *tribubus*, non centuriis, renuntiabatur, docere videtur, reliquas eiusdem tribus centurias prorsus esse neglectas. Sed duobus locis numero plurali *praerogativas centurias* commemoratas legimus, Liv. X, 22. et Auson. grat. act. l. l., qua ex re contrarium quis efficiat. Sed illud sane non intelligo, quomodo praerogativae tanta potuerit esse auctoritas, quanta omnium consensu fuit, nisi tantundem eius solius suffragium valuisset, quantum totius tribus. Neque profecto Ausonii hac in re magna est auctoritas, cum, etiamsi numeri oratorii gratia plurali numero esse usum non credamus, ea res aut mutata, aut abolita esse posset. Apud Livium autem nescio an singularem liceat restituere numerum, aliis quoque in locis cum plurali permutatum. Sed nihil definio. Incerta enim haec et levia.

Praerogativae suffragium praeconis voce renuntiabatur. Cic. Phil. II, 33. Liv. V, 18. cf. Cic. Verr. V, 15. Deinde reliquae sequebantur certo ordine Liv. l. l., XXVII, 6. Cic. l. l., in quo constituendo

non solum classes, verum etiam tribus esse spectatas e locis supra allatis apparet. Sed centurias quoque in singulis tribubus certum ordinem servasse inde apparet, quod apud Livium XXVII, 6. et Ausonium l. l. *omnes* centuriæ præter prærogativam iure vocatæ dicuntur. Qualis is fuerit, aliqua ex parte fortasse poterit erui, siquidem, quod verisimile esse iudicavimus, non nisi primas ex singulis primæ classis tribubus centurias de prærogativa sortitas esse statuamus. Quotiescunque enim prærogativa suo nomine apud veteres appellatur, semper est iuniorum centuria: Liv. XXIV, 7. XXVI, 22. XXVII, 6., unde effecerim, iuniorum centurias in comitiis primas tenuisse, id quod nescio an Festi loco s. v. *Pro censu* p. 1194. confirmetur, quo de *classis iuniorum censu* loquitur, et simillimo, siquidem vera est lectio, Gellii loco X, 28, quo Servium census faciendi gratia *quinque classes iuniorum* instituisse auctor est. Immo probabilior etiam eo res fieri videtur, quod et olim, et fortasse posteris quoque temporibus equites primos suffragia tulisse scimus, quos omnes fuisse iuniorum infra docebimus, et quod æquum videri poterat, ut qui remp. militia defenderent, iidem magistratus sibi præcipue eligerent. Quæ si recte habent, ultra iam progredi licebit. Appellantur enim iisdem Livii locis Aniensis, Veturia, et Galeria iuniorum. Sequitur igitur, ni fallor, illas ipsas tribus præter alias, uti videtur, quindecim, quarum nomina ignorantur, primæ classis centuriis constitisse, *) sicut urbanæ

*) His annumero equitum tribus, tres opinor vel quatuor, quas Dionysius exhibet VI, 13. p. 1168, sq.: ἡ μετὰ τὴν θυσίαν

infimas classes continuerunt. Sed hæc tamen, cum magna ex parte coniectura nitantur, pro certis dare nolim.

Sequebantur igitur prærogativam reliquæ tribus et centuriæ iure vocatæ. Quotiescunque unius tribus centuriæ suffragia tulerant, computatione a magistratu qui comitia habebat instituta, communis eius tribus sententia æque ac prærogativæ a præcone renuntiabatur, quod e Cic. Verr. IV, 15. supra docuimus. Nam apud Cic. Phil. II, 33. alterum *renuntiatur* librarii culpa irrepsise videri antea monui: alioquin enim classium tantum singularum sententias esse renuntiatas inde sequeretur: quæ quidem res parum probabilitatis habet, quoniam inde effici posse arbitror, non tribuum, sed classium idem consentium numerum esse spectatum ad rem vel decernendam vel abiiciendam. Cui rei præter ea quæ antea diximus illud quoque adversatur, quod ita et facillime, cum sex essent classes, pares suffragiorum numeri exstitissent, et optimates auctoritatem plane perdidissent. — Tandem comitiis ad finem perductis, numeratisque tribuum suffragiis, quid universus populus censeret, renuntiabatur. Paribus suffragiis reum esse absolutum supra vidimus, in magistratibus creandis sortitionem locum habuisse Cicero docet pro Plancio 22: *Neque enim unquam maiores nostri sortitionem constituissent ædilitiam, nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent.* Quæ quamvis de tributis

---

ἐπιτελουμένη πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἱ κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι, στοιχηδὸν — —, πορεύονται πάντες. V, 5. p. 25.

dicta sint comitiis, tamen non dubito ad centuriata aeque pertinuisse.

Suffragia initio voce esse lata vel inde apparet, quod postea legibus tabellariis (vid. Ernestii clav. Cic. s. v. *leges tabellariae*) cautum est, ut tabellis ferrentur, quae res est omnibus nota. Lata esse per *pontem* vel per *pontes* legimus apud Suet. Caes. 80., Varr. et Fest. ll. supra ll. (v. p. 56.), Auct. ad Herenn. I, 12. Cic. legg. III, 17. epp. ad Att. I, 13. Ov. Fast. V, 634: quos e campo Martio ad septa pertinuisse omnes consentiunt. Sed de eorum ratione dubitatur, numerus plane est ignotus. Equidem, si coniectura uti liceat, in comitiis centuriatis tot fuisse crediderim quot centurias in singulis tribubus; in tributis non nisi unum. Nam plures quidem fuisse in comitiis centuriatis, inde apparet, quod et ipsi plurali numero saepissime appellantur, et custodes quo consilio fuerint electi non intelligitur, nisi plures una centuriae suffragia tulerint. Sed plures quam sex fuisse, quamvis sint qui CXCIII credant, persuaderi equidem mihi non sinam. Primum enim custodum numerus aeque, si non melius, minori pontium numero convenit, quam isti tam ingenti, cum eadem eorum atque iudicum ratio fuisse videatur, ut ex certo numero quos vellet quisque eligeret. Plinius enim H. N. XXXIII, 7: *Praeter hos*, inquit (locutus fuerat de iudicum decuriis) *etiamnum Nongenti vocabantur ex omnibus* (equitibus) *selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis. Et divisus hic quoque ordo* (equester) *erat superba usurpatione nominum, cum alius se Nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret.* Atqui singulos candidatos suum cuique

ponti custodem præfecisse ni certum; at verisimillimum certe esse mox videbimus. Quodsi CXCIII fuero pontes, facile fieri poterat, ut nongentorum numerus custodum ei rei non sufficeret, cum ita vel quinque candidati IƆCCCCLXV, sex CIƆCLVIII custodibus opus habuissent. Quæ res credi non potest. — Deinde difficile fuisset singulis comitiorum diebus tot pontes struere: quos tum demum, cum iis esset utendum, esse iunctos inde discimus, quod non solum disturbari poterant (Auct. ad Herenn. I, 12.), sed etiam præterquam in campo in foro quoque inveniuntur comitiis habendis, in quo sane impedimento fuissent si semper locum servassent. Denique non una omnes centurias, sed tributim si ita dicere licet suffragia tulisse supra vidimus. Nulli igitur usui tantus pontium numerus esset structus. Tributis vero comitiis non nisi uno ponte opus fuisse inde apparet, quod in iis tribus non centuriatim, sed fuse suffragia ferebant (v. s.). — Alia in hanc rem, de cistis in his pontibus positis, de punctis et de ipsis custodibus ab aliis varie disputata sunt, quare nos quoque experiamur, an verum eruamus, certe quæ nobis verisimillima videantur, proferamus. *Custodes* igitur ex omni equitum numero electi nongenti erant. Plin. H. N. XXXIII, 7., l. modo laud. Sed ut iudices alii alia iudicia exercebant a prætore dati, ita custodes quoque non omnes iisdem comitiis munere suo functi esse videntur, sed tot ni fallor a quolibet candidato eligebantur, quot centuriæ singulis tribubus continebantur. Ab ipsis certe candidatis eos esse electos Cicero docet sive quis alius post red. in sen. 7: *Tu* (L. Piso) *misericors me affinem tuum, quem comitiis*

tuis praerogativae primum custodem praefeceras, quem Kal. Jan. (consulatum ingressus) *tertio loco sententiam rogaras, constrictam inimicis reip. tradidisti.* In quibus immerito verba *primum custodem feceras* ita interpretari quidam videntur, quasi plures praerogativae custodes ab uno electi fuerint. Hoc enim vult: consuli designato Pisoni primum se fuisse, summa auctoritate esse usum, consulatum ingresso tertium, mox extremum omnium, quasi dixisset: comitiis tuis praerogativae, utpote qui primum apud te amicitiae locum obtineret, custodem praefeceras etc. Quem verum esse verborum sensum etiam Pisonianae locus statim laudandus declarat. Munus eorum praecipuum fuisse cavere, ne quid fallaciae obreperet in suffragiis sive ferendis, sive numerandis, constare videtur vel ex Plinii loco antea laudato. Sed praeterea ipsos primum suffragium tulisse in centuria sua merito colligi videtur ex Ciceronis loco in Pis. 5, ubi in eadem illa re his verbis utitur: *Ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogativae, quem in senatu sententiam rogabas tertium, nunquam aspirasti.* Singula suffragia puncto notasse putantur, quam tamen rem legibus tabellariis abolitam videri antea monui. Suffragiorum tabellas in cistis esse servatas, vel potius in eas coniectas, et Plinii locus et alii docent. Sed de numero cistarum licet dubitare, quamvis si quaeras, quot cistae in pontibus fuerint positae, singulas censeam. *Diribitores* enim equidem plerumque non in ponte stetisse, sed per tribus circumisse arbitror, neque igitur eorum si quae erant cistae sunt in pontibus quaerendae. Tabellae non ab iis ipsis qui suffragia ferebant in cistam vi-

dentur esse coniectæ, quoniam ita custodes ne fraus fieret cavere non potuissent, sed ipsis custodibus in manus traditas tabellas, ab iis tamen in unam coniectas esse cistam, tenui eam, ni fallor, ore patentem, necesse est. — *Rogatores* denique eosdem custodes fuisse arbitror, curaturos, ut recte suffragia ferrentur. Neque enim intelligo, quo consilio rogatores a custodibus diversi fuerint instituti, cum falsum sit quod quidam crediderunt, munus eorum in reposcendis tabulis, quibus cives non usi fuissent, constitisse. Etenim Cic. de N. D. II, 4. et de div. II, 35. idem iis muneris tribuit, quod custodibus necessario tribuitur, referendi ad magistratum qui comitia habebat centuriæ suæ sententiam; neque ullum locum me legere memini, quo vere discernantur utrique. Nam qui in Pisoniana c. 15. discernuntur rogatores a custodibus, longe alios esse persuasum habeo. Tres enim huius vocabuli reperiuntur significationes. Prima est ea, qua universe rogantem, precantem, indicat, unde mendici orta est significatio; altera, qua eum, qui, præses ipse comitiorum, ad suffragia vocat, et sententiam rogat totarum centuriarum; tertia, qua is indicatur, qui singulorum suffragia rogans unius centuriæ sententiam efficit. Jam vero Pisonianæ verba: *Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos* (Lentule et senatores) *rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum: et quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel honoris, id in salute mea nullo rogante vos vestra sponte fecistis* — hæc, inquam, vel ipsa docent alios esse intelligendos. Primum enim **rogatores**, quocunque munere sint functi, non pote-

rant præponi diribitoribus et custodibus; cum illos hi in comitiis necessario præcederent. Consilio vero Ciceronem hoc verborum ordine esse usum, nescio an inde appareat, quod eodem in eadem re iidem appellantur post red. in sen. 11. Deinde, quod gravius est, illo ipso loco Pisonianæ alias senatores hoc munus detrectare per honoris excusationem pronuntiat, cum constet custodum munus fuisse honestissimum, rogatorum, si in eo versatum sit, ut centuriarum sententiam ad consulem referrent, non minus necessario fuisse honestum, solum igitur diribitorum munus ipsis fortasse indignum potuisse videri. Denique, quod gravissimum est, orationis p. red. in sen. loco laud. verba illa uberius illustrantur: *Decrevistis*, *ne quis ulla ratione rem impediret; qui id impedisset, graviter molesteque laturos — — — quid? ut agerentur gratiæ qui e municipiis venissent* (ad suffragia ferenda), *quid? ut ad illam diem*, *cum res redisset*, *rogarentur*, *ut pari studio convenirent. Quid denique illo die etc.* Quo loco apertum esse videtur, eodem sensu usurpari *rogandi* vocabulum, quo paucis verbis post *rogatorum*, ideoque rogatores esse eos, qui cives circumirent rogaturi ut Ciceroni faverent.

De comitiis hæc sufficiant, cum reliqua nemini sint ignota. Sed duo sunt, de quibus pauca quædam antequam disputationi finem imponamus addenda esse videntur: *equites* et *curiæ*. Nam cum antiquissimis temporibus, et nescio an postea quoque, equites omnium primi suffragia tulerint in comitiis centuriatis, operæ pretium fuerit cognoscere, quomodo illi habuerint; attamen in his quoque ut in reliquis quæ ab aliis satis sunt exposita omit-

tenda esse duximus, ne actum agendo molesti essemus. Mittimus igitur quæ de equitum ordine orto, de eius insignibus et muneribus aliisque rebus alii e Plinio atque aliis scriptoribus collegerunt. Ea afferam, quæ nec satis sunt adhuc illustrata et ad rem nostram pertinent. — Supra enim monui, equites Romanos non ex ætate fuisse in iuniorum seniorumque centurias distributos. Neque enim, ut tunc commemoravi, Livius, nec Dionysius, quamvis uterque in reliquis classibus singulis, quot quidem per centuriarum numerum ita poterant distribui, eius rei fecerit mentionem, in equitibus ei divisioni locum statuit. Sed gravius est, quod, ubicunque equitum ea fit mentio, ut suffragiorum ratio habeatur, ita nominantur, quasi nemo de omnium iuventute possit dubitare. Sic Q. Cicero de pet. cos. 8: *Jam*, inquit, *equitum centuriæ multo facilius mihi diligentia posse teneri videntur. Primum cognoscendi sunt equites: pauci enim sunt; deinde adipiscendi; multo enim facilius illa adolescentulorum ætas ad amicitiam adiungitur.* M. Cicero epp. ad Curionem (ad div. II.), 6: *Iuventutis et gratiosorum in suffragiis studia propter ipsius* (Milonis) *excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam* (habemus). Idem vero eodem sensu ad Brutum (XI.), 16: *Nunc*, scribit, *si me tanti facis, quanti certe facis, quando equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat.* Apud Livium II, 20. equites sunt *iuventutis proceres*. Liv. epit. LXXXIX: *Cn. Pompeius — quatuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit.* Nimirum

tamdiu Romani suffragiorum ius habebant, quamdiu militiæ erant habiles. Illud enim proverbio illo ostenditur *sexagenarios de ponte*, unde senes ipsi transacto sexagesimo vitæ anno depontani nominabantur (V. s. p. 56.). Sed cum iusta militiæ ætas inter annum ætatis XVII. et XLV., vel posteriore tempore quinquagesimum, esset (v. s. l. l.), quo quidem tempore pediti senadena vel vicena, equiti dena tantum stipendia erant facienda, qui ultra ætatem stipendiorumque numerum lege constitutum stipendia merebant, veterani vocabantur. Sexagesimum autem vitæ annum ut necessitati reip. administrandæ, ita omni militiæ finem imposuisse, et aliunde et inde apparere videtur, quod longissimum de quo legere me memini stipendium est quadraginta annorum (Tac. Ann. III, 33.): quod si continua serie iungatur illis XVII annis, ad sexagesimum fere annum accesseris. Itaque quamdiu militiæ cives vacabant, suffragiorum quoque erant participes. Sed equitum vix crediderim me errare, si nunquam veteranos legisse me commemoratos affirmem. Quæ caussa fuisse perpetuæ scilicet equitum iuventutis videtur.

Sed aliud restat. Namque ab Augusto legimus esse institutos *equites illustres*, qui cum censu senatorio uterentur, quasi seminarium quoddam fuerint senatus, eodemque quo senatores et vestitu et honore usi sint. Quam rem ex Dione Cassio iam dudum Lipsius et Ernestius ad Tac. Ann. XI, 4. exposuerunt. Sed quæritur, quales tandem alteri illi fuerint equites non illustres. Namque illustres quidem non repente velut fungos exstitisse Augusto imperante patet, sed antea quoque eo censu, et ob divitias simili honore esse usos. Jam vero illud

illustrium equitum nomen æque atque *splendidorum* et *honestorum*, quorum sub Imperatoribus eadem fuit significatio (v. Lips. l. l.), etiam liberæ reip. temporibus legimus Cic. Verr. III, 24. Liv. XXX, 18. Cæs. de B. G. VII, 3. alibi. Simile denique nos discrimen quoddam sex centuriarum et reliquorum equitum antea exstitisse docuimus. Quæ ubi inter se comparaverimus, annon verisimile videtur, honoris illud discrimen ab Imperatoribus non esse institutum, sed magis finitum? Annon, cum fieri non posset, quin qui vectigalia conduxissent foenerative essent, magis censum augerent, quam qui ea quæstus genera non tractassent, probabile est, ipso censu discrimen illud esse effectum? Hanc veram esse rationem duo loci aperte indicare videntur. Cicero enim pro Plancio 9: *Flos enim*, inquit, *equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reip., publicanorum ordine continetur.* Quid igitur impedit, quominus publicanos eosdem habeamus equites qui mox sint dicti *illustres*? Quam rem alter locus magis etiam comprobat, quo docemur, etiam Vespasiano Imp. exstitisse *sex* illas *centurias*. Inscriptionem dico supra laud. ap. Grut. p. 243. 1:

VICTORIÆ
IMP. CÆSARIS. VESPASIANI
AVGVSTI
SACRVM
TRIB. SVC. CORP. IVLIANI
C. IVLIVS. HERMES. MENSOR etc.
CVI. POPVLVS. EIVS. CORPORIS. IMMVNITATEM
SEX. CENTVRIARVM. DECREVIT.

Quae verba sive ita intelligas, ut sex centurias immunes fuisse tributo credas, sive vel stipendio vel alio fructu nescio quo esse usos a reliquis conferendo, illud certe colligi videtur, tum quoque eos censu equestri non usos fuisse. Quare ita statuo, duodecim equitum centurias, ex censu, et, ni fallor, genere quoque lectas,*) a Gracchi inde aetate vectigalia conduxisse, atque publicanos, mox proprio quodam nomine *equites illustres* esse nuncupatos, sex autem centurias, ex fortitudine lectas, easdemque stipendio affectas, caruisse censu equestri.

Atque haec de equitibus. Pauca iam addam de *curiis*. Quas immotas mansisse quamdiu exstiterint, certum esse videtur. Sed tribuum rationem esse mutatam supra docuimus, quae cum *ex generibus hominum* describerentur, eadem sane lege sunt distributae, qua curiae. Nam cum quaelibet curia sua sacra faceret publica, efficitur, curias ex *genere hominum et familiis* esse descriptas. Atque hanc rem eo valuisse, ut prorsus eaedem haberentur tribus et curiae, non uno ex loco discimus. Curiata enim comitia paullatim ita esse abolita, ut Ciceronis aetate *ad speciem atque usurpationem vetustatis per XXX lictores auspiciorum caussa adumbrarentur*, ipse docet Agrar. II, 12. Quae res quomodo fieri potuisset, nisi prorsus superflua ea comitia visa essent? Sed apertiores locos afferamus, quo curias extremo liberae reip. tempore easdem tribus fuisse doceamus. Festus p. 1141: *Centumviralia iudicia*, inquit, *a centumviris sunt dicta*.

*) Cf. Vell. II, 3, 2: *Optimates, senatus, atque equestris ordinis pars melior et maior.*

Nam cum essent Romae triginta et quinque tribus, quae et curiae sunt dictae, terni ex singulis tribubus sunt electi ad iudicandum. Ascon. ad Cic. Verr. Act. I, 8: *Utrum legitimos habent omnes tribus divisores, quos Plautus* (Aul. I, 2, 29.) *magistros curiarum vocat, — — — an etc.* Idem ad Verr. I, 5: *Tribus principio tres fuerunt. — Post de nominibus Sabinarum plures fuere. — — Ad postremum triginta et quinque factae.* Illud autem, a Sabinis eas esse appellatas, non solum reliqui omnes curiis tribuunt, sed certum est etiam omnium consensu, non ante Servium tribuum numerum esse auctum. Festus p. 1139. *Curiae etiam nominantur in quibus uniuscuiusque partis populi Romani quid geritur: quales sunt hae, in quas Romulus populum distribuit numero triginta, quibus postea additae sunt quinque, ita, ut in sua quisque curia sacra publica faceret feriasque observaret.* Atqui e Ciceronis loco modo laudato efficitur, curias, quamdiu a tribubus revera fuerint diversae, non XXXV, sed XXX fuisse. Sed ne quis forte credat, solos Festum atque Asconium hanc opinionem, per errorem fortasse, fovisse, alios iam subiiciam aliorum scriptorum locos, qui ex ea re sola lucem capiunt. Florus enim I, 6, 4: *Ab hoc* (Ser. Tullio), inquit, *populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus.* Voluit quippe *tribus atque centurias*, cum *curias* quae prisco aevo fuerant non Servius, sed Romulus, *collegia* vero Numa instituerit. Iste vero pro levitate sua e sui saeculi more locutus *curias* dixit quas easdem haberet *tribus*, *collegia* autem similiter, atque supra *corpora*

pro *centuriis* dicta esse vidimus. Eadem re eorum sententia expeditur, quos supra a Servio tribus XXX institutas esse arbitrari monui. Confudit enim aut ipse qui eam sententiam commemoravit Dionysius, aut quos ille sequebatur scriptores tribuum cum curiarum eo tempore numero. Quem errorem illius ætate fuisse pervulgatum loci modo allati satis ostendunt. Denique certissima, ni omnia me fallunt, coniectura restitutum Festi locum addam p. 1141: *Centuriata comitia item curiata dicebantur, quia populus Romanus per centurias et curias* (antea legebatur: *per centenas turmas*, quod censu caret) *divisus erat.* Nam cum *tribus* a *curiis* non differrent, centuriæ vero tributim suffragia ferrent, facile fieri poterat, ut comitia centuriata etiam et tributa et curiata interdum vocarentur.

Atque hæc hactenus. Multa sciens omisi quæ ab aliis satis essent illustrata, alia fortasse insciens. Quodsi hic illic erravim, plurave iusto vel neglexerim, vel protulerim, veniam mihi datum iri erranti confido. Tenuitatem meam excusaturum oratio deficit. Quare nihil addo, nisi cupere me, ut studium certe meum atque labor in hocce opus insumtus Vobis, lectores, probetur.

E r r a t a.

P. 6. L. 2. l. *præditarum.* P. 9. L. 5. ab extr. l. *equitum cent.* P. 24. L. 4. ab extr. l. *Liv. XL, 51.* P. 34. L. 1. l. *Niebuhrio videtur.* P. 36. L. 8. l. *loci quidam.* P. 37. L. 5. l. *præstiterint.* P. 39. L. 3. l. *robustissimum antea in peditum numerum esse asser.* L. 5. l. *militiæ.* L. 12. l. *Imperatore.* L. 15. l. *censu.* L. 21. l. *Bonnæ.* P. 41. L. 3. ab extr. l. *vulgatam.* P. 43. L. 4. l. *æquales.* P. 46. L. 11. l. *CXCIV.* P. 48. L. 21. l. *Hermannum.* P. 57. L. 8. l. *Gellius X, 28.* P. 65. L. 3. l. *si sit.* P. 75. L. 1. l. *Sabinorum.* P. 76. L. 7. l. *p. 70.* P. 81. L. 10. ab extr. l. *censuerat.* — Leviora, et si quæ forte in extremis paginis fuerint commissa, ipse lector benevolus corriget. P. 86. L. 18. l. Zonaras.

63. 9

Z